Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-302076-p0001-7

1. Bullingeri H. Henrici / Commentariis in Evangelium S. Matthæi, Tigvri 1546

2. ——— Commentariis in Evangelium S. Marci, Tigvri, 1545.

3. ——— Commentariis in Evangelium S. Lucæ, Tigvri 1546

Angsb Bibl 01 W2

IN SACROSANCTVM Euangelium Domini nostri Iesu Christi secundum Marcũ, Commentariorum lib. VI. per Heinrychum Bullingerum.

ACCESSIT operi Præfatio De Iesu Christo pontifice maximo, & rege fidelium summo regnante in ecclesia sanctorum.

IESVS.

Hic est filius meus dilectus, in quo placata est anima mea. Ipsum audite. Matth. 17.

TIGVRI APVD FROSCH. AN. M. D. XLV.

De Iesu Christo Pontifice Maxi=
mo & Rege fidelium summo, regnante in ecclesia sanctorum, ad indu=
strium uirum Christophorum Froschouerum typographum
& ciuem Tigurinum, H. Bullingeri in Commen
tariorum suorum libros ad Euange=
lium secundum Marcum

PRAEFATIO.

QVONIAM apostolorum scripta, euangelistarum maxime, in hoc tota sunt, ut euincant & demonstrent Iesum esse Christum, id est unctum, reuera Pontificem Maximum, & Regem summum omnium sanctorum, explicabo in præ=senti paucis quomodo Christus sit unctus Pontifex et Rex maximus omnium fideliũ adeoq; cœli & terræ dominus. Pertinet enim hæc explicatio plurimùm ad sanum euangelicæ & apostolicæ, adde & propheticæ doctrinæ intellectum.

Vsus Lectionis Euangelistarum, & Apostolorum.

Initio inquirendum uidetur quænam sint sacerdotũ siue summi pon=tificis officia, deinde quomodo ea congruant domino nostro Iesu Chri=sto, & quomodo ipse sit ecclesiæ dei pontifex maximus. Sacerdotum primarium munus erat docere, deinde orare & intercedere apud deum pro populo, item offerre pro peccatoribus & hos expiare à peccatis. Ac oportuit eos esse sanctos, qui alios sanctificabant: sicuti fusius exponitur per Leuiticum, & in epistola ad Hebræos. De uestitu sacerdotali & quæ summus pontifex in lege peculiaria habuit, nolo nunc disputare, ne liber fiat ex Præfatione. Porrò de domino nostro Iesu Christo Moses in Deuteronomio, Stephano & Petro authoribus, Prophetam, inquit, su=scitabit uobis dominus deus uester de fratribus uestris mei similem. Au=dietis eum iuxta omnia quæcunq; loquutus fuerit uobis. Futurum est au tem ut omnis anima, quæ non audierit prophetam illum exterminetur è populo. Quia ergo dominus noster propheta est, adeoq; prophetarum princeps, docuit certe. Docuit autẽ uoluntatem patris sui, à quo missus erat, quæ uidelicet salutis indipiscendæ & ueri cultus dei ratio sit, quis, qualis, & quantus sit deus, qualisq; erga homines, rursus quid deo de=beant homines, & quæ sint officia pietatis. Ac docuit quidẽ hæc, & om=nia, quæ ad perfectam religionem et ad salutem nostram absolutissimam pertinent, perfectissime planissimeq; : quia Messias uel unctus domini est. De quo in euangelio legis, Messias ubi uenerit docebit nos omnia. Nec ipse docuit solus, delegit insuper sibi apostolos 12. & discipulos 70. quibus huiusmodi mandatum dedit, Ite in orbem uniuersum, & prædi=

officium sacerdotum.

1. Docere.
2. Orare & Intercedere.
3. Offerre & Expiare.

Christus Iesus ecclesiæ catholicæ sacerdos.

Deut. 18. Act. 3. & 7.

Christus doctor.

Qualis doctrina Christi?
De patris uoluntate.

Messias quid.

Marc. 16. cate euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, sal-
uus erit, &c. Et iterum, Docete eos seruare omnia, quæ ego præcepi uo-
bis. Deniq; illos ipsos suos legatos spiritu suo instruxit, per quem ipse, li
cet corpore assumptus in cœlos, loqueretur per ora apostolorum & mi-
nistrorum in ecclesia, adde & in cordibus omniũ fidelium ad finem usq;
1. Ioan. 2. sæculi. Ideo Ioãnes apostolus dixit, Vos quod audistis ab initio in uobis
permaneat. Si in uobis permanserit quod audistis ab initio, & uos in fi-
lio & patre permanebitis. Et unctio quam uos accepistis ab eo, manet in
uobis: & non necesse habetis ut quisquã doceat uos, sed sicut ipsa unctio
docet uos de omnibus, uerax est & non mendacium. Proinde Christus
Verbo et spiritu, per ministros docet in Ecclesia Christus.
pontifex noster, uerbo & spiritu suo manet in ecclesia, & operatur, docet
2. Cor. 5. & agit per ministros in fidelibus. Nam & Paulus, Deus erat in Christo,
inquit, mundum reconcilians sibi, non imputans ei peccata sua: & posuit
in nobis sermonem reconciliationis. Itaq; nomine Christi legatione fun-
gimur, tanquam deo hortante uos per nos. Rogamus pro Christo, Re-
conciliemini deo. En, deus instituit ministerium uerbi, & ministros uo-
luit suos tanquam legatos haberi, per quorũ ora ipse ueluti summus prin
ceps & pontifex maximus resonat. Ista itaq; quæ prædicamus, ait apos-
tolus, de parta salute per Christum & oblata nobis uita æterna, non aliter à
nobis audire & excipere debetis, q̃ si ipse coràm astaret Christus. Nam
nos pro Christo fungimur legatione, adeoq; Christus per nos uos ad-
Augustin. tract. 30. in Ioan. hortatur, ac dicit, Reconciliemini deo. Orthodoxe ergo S. Augustinus
Tract. in Ioan. 30. Nos sic audiamus euangelium, inquit, quasi præsentẽ
dominum, nec dicamus, O felices qui illum uidere potuerunt. Quia mul-
Sunt aliqua ex parte feliciores, qui Christum audierunt & adhuc audiũt, quã q. uiderunt.
ti in eis qui uiderunt, etiam occiderunt: multi autem in nobis, qui non ui-
derunt, crediderunt. Quod enim pretiosum sonabat de ore domini, &
propter nos scriptum est, & nobis seruatum est, & propter nos recitatur,
& propter posteros recitabitur donec sæculum finiatur. Sursum est do-
Nota. minus: sed etiam hic est ueritas dominus. Corpus enim domini in quo
resurrexit uno loco esse potest, ueritas eius ubiq; diffusa est. Dominum
ergo audiamus, & quod ipse donauerit de uerbis eius, &c. Hæc August.
Quis. ministrum, tis Christus archi. erens suo funga. r̃ munere. Ad hunc autem modum in uerbo suo per spiritum & ministros suos in
ecclesia fidelium pontificali munere fungitur dominus noster Iesus Chri
stus, docens ubiq; omnes homines quotidie, ut & pie uiuant, & tandẽ ad
ipsum transferantur in regnũ patris sempiternũ. Nec est ut homines aliũ
sibi substituant pontificem, Christi uicariũ, qui leges condat, & doctrina
Verbum. Spiritus San. ex scrinio pectoris sui deprompta gubernet ecclesiam. Christus est & ma
net pontifex in ẽternũ, qui uerbo & spiritu suo sancto per fideles suos mi
nistros nihil sibĩ ipsis extra uerbum dei permittẽtes, gubernat ecclesiam.
Christus media tor & intercessor. Idem dominus noster Iesus Christus unicus & solus est in ecclesia fi-
delium apud deum patrem mediator, qui intercedit pro peccatoribus.

Solus

Solus enim nouit omnia, etiã corda, & mortaliũ abstrusissima. Solus potest omnia, quia benedicti dei filius est. Solus misericordẽ et fidelẽ pontificẽ agere potest, quia per omnia fratribus suis similis effectus, uerus est deus & homo uerus. Solus ergo inter deum & homines sequestrem potest agere, & intercedit apud deum fideliſſime. Ideo enim in cœlos ad dexteram patris ascendit, ut nunc semper appareat in conspectu dei, & intercedat pro nobis. Iccirco apostolus, Christus est, inquit, qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram dei, qui & intercedit pro nobis. Et iterum, Habentes ergo pontificem magnum, qui penetrauit cœlos Iesum filium dei, teneamus professionem. Non enim habemus pontificem, qui non possit condolere infirmitatibus nostris, sed tentatum per omnia, iuxta similitudinẽ, absq; peccato. Accedamus ergo cũ fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiã, & gratiam inueniamus ad opportunum auxilium. Et iterum, Cum Christus maneat in æternum, perpetuum habet sacerdotium, unde & saluos facere ad plenum potest qui per ipsum adeunt deum, semper uiuens ad hoc, ut interpellet pro illis. Huc pertinet etiam illud Ioannis, Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Proinde fungitur etiã hodie dominus pontificali munere intercedens apud patrem pro omnibus nomen eius inuocantibus. Imò irreligiosum est alium & non solum Christum cõstituere intercessorem apud patrem. Non licebat olim nisi in ara thymiamatis sacrũ adolere thymiama. Constat autem aram nostram esse Christum dominum, thymiamata uero preces sanctorum. His adde quod de confectione & usu thymiamatis legis Exodi 30. Quod si suffimentum aliquod uobis parare uultis, ne feceritis talem confectionem, qualis illa est. Sanctũ enim domino erit. Quicũq; talem fecerit ut eam olfaciat, excindetur è populo suo. Nephas est ergo ullis supplicare creaturis. Omnes enim preces nostræ deo patri, per filium, offerendæ sunt, neq; ullo alio intercessore apud patrem quàm filio uti debent fideles. Nam & apostolus, Per ipsum, inquit, offeramus hostiam laudis semper deo, hoc est fructum labiorum confitentium nomini eius. Quid quod ipse dominus Iesus in euangelio dixit, Amen amen dico uobis, quæcunq; petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Hactenus non petistis quicq; sub nomine meo, Petite & accipietis, ut gaudiũ uestrũ sit perfectũ. Habemus ergo uerũ pontificẽ Iesum Christum, qui ascendit in cœlos, in uerum utiq; tabernaculum, ubi cõsedit ad dexteram maiestatis, sanctorum, ut Paulus ait, λειτουργὸς minister. Ibi enim omnium sanctorum, id est fideliũ, negotia expedit, nunquã fessus, nunquam deficiens, nunquam exhaustus. Quoniam in illo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter, & in illo sumus cõpleti: ut alium iam pon

Exod. 30.

tificem,alium interceſſorẽ, alium qui negotia noſtra agat apud patrem, Chriſto ſubſtituere non modo peccatũ ſit,ſed et piaculum grande.Nam qui humilitatem prætexunt, ideo ſe alios interceſſores apud deum quærere dicentes,quod peccatis polluti,ad Chriſtum accedere non auſint: & incarnationis myſterium non intelligunt, & ſuam prodũt ignorantiam. Ideo enim incarnatus eſt,ut nobis aditũ aperiret ad ipſum deum patrem: teſtante apoſtolo,Cum habeamus libertatem adeundi in ſancta per ſanguinem Ieſu,ea uia quam dedicauit nobis recentem ac uiuentem, per uelamentum, id eſt per carnẽ ſuam. Et iterum, Debuit Chriſtus per omnia fratribus ſimilis reddi, ut miſericors eſſet & fidelis pontifex, in his quæ apud deum forẽt agenda ad expiandũ peccata populi. Nam ex hoc quod ipſi contigit tentatum eſſe,poteſt & ijs qui tentantur ſuccurrere. Sicut ergo ſolus pro officio pontificali ſuo intercedit pro peccatoribus,ita ſolus expiat & purgat à peccatis,non interceſſione aut precibus tantum,ſed & ſanguine. Produnt ergo ſuam ignorantiam cum dicunt quidam, ideo ſe diuorum preces & cõmendationes ambire, quod peccatis polluti in conſpectum Chriſti prodire non auſint. Quaſi uero abluantur precibus diuorum aut ſanguine diuorum. Niſi uera fide & humilitate in cõſpectum ſummi pontificis,qui pro ipſis intercedat apud patrem,& purget eos ſanguine ſuo,prodeant,licet ad rauim uſq; clament, nunquam tamen exaudientur,imò in æternum peribũt. Neq; liberabuntur ab interitu illo ſuo, per ullam quantumuis præcellentem creaturam. Chriſti pontificis noſtri hæc gloria eſt,qui licet corpore in cœlis habitet,omnia tamen ſanctorum in terris,per omnes eccleſias,negotia fideliſſime apud patrem expedit.

Chriſtus ſacrificium uerum & unicum expiat eccleſiam.

Iam quia dominus noſter pontifex maximus eſt,ſacrificat etiam, purgat,expiat,atq; iuſtificat eccleſiam catholicam. Nam catholicus pontifex eſt: ergo pro omnib. ſacrificauit. Quid uero ſacrificauit? Sacerdotes quidem ueteres, qui typum geſſere Chriſti,illud ſacrificauerunt quod acceperunt à populo. In eo autem his Chriſtus ſimilis factus eſt. Quod enim à populo(pro quo ſacrificat)id eſt à nobis,accepit,idipſum obtulit. A nobis accepit carnem & ſanguinem,id eſt uerum hominem,proinde ſemetipſum obtulit pro nobis,mortuus in carne uidelicet. Nam diuinitas mortis expers eſt. Ipſe tamen qui uerus deus eſt & homo,pro nobis oblatus eſt,ideoq; corpus & ſanguis ueri filij dei illa ipſa oblatio, hoc ſacrificium eſt,non pecorum carnes aut ſanguis,quo expiatur eccleſia: ut idem ſit & ſacerdos & ſacrificium,plurimũq; hic diſcriminis ſit inter Chriſtum & ueteres pontifices, ſicut et in alijs. Id quod diui Pauli uerbis explicabimus. Non in manufacta,inquit, ſancta ingreſſus eſt Chriſtus, exemplaria uerorum,ſed in ipſum cœlum,ut appareat nunc in cõſpectu dei pro nobis: non ut ſæpius offerat ſemetipſum,quemadmodum pontifex ingreditur ſancta ſingulis annis per ſanguinem alienum. Alioqui oportuiſſet illum

ſæpius

ſæpius paſſum fuiſſe à condito mundo. Nunc autẽ ſemel ſub cõſumma-
tionem ſæculorum ad profligationẽ peccati per immolationẽ ſuũ ipſius
apparuit. Et quatenus illud manet homines, ut ſemel moriãtur, poſt hoc
autem iudicium: ita & Chriſtus ſemel oblatus eſt ut multorum peccata
tolleret, ſecundario abſq; peccato conſpicietur ijs qui illum expectant in
ſalutem. Et iterum, Chriſtus accedens pontifex futurorum bonorũ, per
maius & perfectius tabernaculũ, non manufactum, id eſt, non huius ſtru
cturæ, neq; per ſanguinem hircorum & uitulorum, ſed per proprium ſan
guinem ingreſſus eſt ſemel in ſancta æterna redemptione reperta. Item,
Omnis quidem ſacerdos aſſiſtit quotidie ſacra peragens, & eaſdẽ ſæpius
offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata. Hic uero una
oblata pro peccatis uictima perpetuò ſedet ad dexteram dei, id quod ſu-
pereſt expectans, donec reddantur inimici ipſius ſcabellum pedum eius.
Intelligis, opinor, ex minime obſcuris apoſtoli uerbis, pontificẽ noſtrum
Ieſum, non offerre, neq; offerri quotidie. Cum enim filius dei ſit, homo
uerus, & purus, ſemel duntaxat oblatus eſt, nec offertur amplius. Vnica
enim hoſtia omnia peccata abſtulit. Nam ſemper efficax eſt ad expianda
peccata, licet non repetatur. Atq; iccirco deſierunt ſacrificia in paſſione
& immolatione Chriſti ſacerdotis noſtri: iterum dicente apoſtolo, Te-
ſtificatur autem nobis & ipſe ſpiritus ſanctus, nimirum cum prædixerit,
Hoc eſt teſtamentum quod condam erga illos, poſt dies hos, dicit domi-
nus, dans leges meas in corde illorum, & in mentibus illorum inſcribam
illas, & peccatorum atq; iniquitatum illorum non recordabor amplius.
Porrò ubi horum eſt remiſſio, ibi nulla eſt amplius oblatio pro peccato.
Pleniſſimam ergo peccatorum remiſſionem & expiationem habet eccle
ſia in morte & oblatione ſummi pontificis ſui Chriſti, qui licet nõ immo
letur amplius, quotidie tamen, quinimò in ſingula momenta purgat, ex-
piat atq; iuſtificat credentes in nomen eius. Iccirco pontificali ſuo mune-
re utitur quotidie & ſingulis momẽtis. Eccleſia item aliam expiationem,
iuſtificationem, atq; purgationem peccatorum non optat, non quærit,
non curat. Nouit enim ſe pleniſſime expurgatam eſſe ſanguine filij dei ſa
cerdotis & pontificis ſui maximi. In myſterijs cœnæ ſanctæ peragit me-
moriã ſemel oblati corporis Ieſu, et agit pro expiatione gratias. Et quem-
admodum fructus ueterum ſacrificiorum fide percipiebatur, non exter-
na tantum manducatione aut cõmunione: ita fide etiamnum percipitur
fructus ſacrificij ſacerdotis noſtri Chriſti in eccleſia ſanctorũ. Qui uero
uicarios Chriſto ſacerdoti ſubſtituũt, qui quotidie filium dei ſacrificent,
in pontificem & pontificatũ Chriſti, maxime impij ſunt. In lege dei præ-
cipitur, Nullus homo ſit in tentorio conſtitutionis, cum pontifex ingre-
ditur ad expiandũ in ſanctuario. Soli enim Chriſto hæc gloria & gratia
in ſolidum reſeruata eſt: neque is ullo eget uicario, cum in momenta pro

officio ſuo pontificali omnes accedentes purget atq; expiet iuſtificetq;. Huc iam pertinet illud prophetæ, Quanquã iniuriam nullam fecerit,& dolus non fuerit in ore eius,dominus tamẽ uoluit ipſum infirmando atterere,ut ubi poſuerit animam ſuam hoſtiam delicti,uideat ſemen,prorogetdies, & uoluntas domini proſpere cedat in manu eius. A labore anima eius uidebit & ſatiabitur : & cognitione ſui multos iuſtificabit iuſtus ſeruus meus,quorum iniquitates ipſe baiulabit. Atq; ad hunc quidẽ modum ad finem uſq; ſæculi pontificali ſuo munere utetur dominus noſter, cum omnes fideles quotidie uirtute ſacrificij ſemel oblati purificet,expiet atq; iuſtificet in eccleſia.

Chriſtus ſanctificat & conſecrat.

Adde his quod dominus noſter Ieſus Chriſtus non tantũ ſanctus eſt, ſed et ſanctus ſanctorũ,ſicut appellauit Daniel,ſanctũ deniq; illud pręclariſſimũ,ſicut dixit Gabriel,ipſa inquã totius orbis ſanctificatio, ſicut nominauit apoſtolus Paulus. Atq; hic rurſus multis nominib. antecellit cũ ſummo pontifice omnes ſacerdotes Leuiticos. Ideo propheta cecinit in carmine myſtico,Amas iuſtitiã, impietatẽ odis, propterea unxit te deus, deus tuus unxit oleo lętitiæ præ cõſortibus tuis. Chriſtus enim dominus noſter plenitudinẽ ſpiritus accepit,nullibi ullo delibutus legitur oleo,ſed ipſa re ſignificata per oleũ,ſpiritu ſancto. Quo nimirũ illud Ioãnis pertinet,Nõ ad menſurã dat deus ſpiritũ filio.Pater diligit filiũ,& omnia tradidit in manũ eius.Neq; ſibi ſoli gratiã hanc reſeruat. Vnguentũ enim illud bonũ & pretioſum, quod capiti ueri pontificis infuſum eſt,defluit & in barbã, & in extremos ueſtimenti eius lumbos. Nam dominus noſter Ieſus Chriſtus ſanctificat nos,per ſpiritũ ſuum,per quem confert nobis fidem & charitatẽ,efficitq; ut ſimus omnes ſacerdotes Chriſti corã deo patre,conſecrati per pontificẽ maximũ. Ideo enim Ioannes apoſtolus dixit, Ieſus Chriſtus teſtis eſt fidelis primogenitus mortuorũ,& princeps regũ terrę,ipſe dilexit nos,& lauit nos à peccatis noſtris per ſanguinẽ ipſius,et fecit nos reges et ſacerdotes deo et patri ſuo. Beatus quoq; Petrus apoſtolus,Chriſtus,inquit,eſt lapis electus,pretioſus & uiuus, ad quẽ accedẽtes ueluti uiui lapides ædificemini, domus ſpiritualis, ſacerdotiũ ſanctũ, ad offerendũ ſpirituales hoſtias,acceptabiles deo per Ieſum Chriſtum. Vos enim eſtis genus electũ, regale ſacerdotiũ, gens ſancta, populus acquiſitus,ut uirtutes illius prędicetis qui è tenebris uos uocauit in admirabilem lucẽ ſuã. Sacrificant ergo fideles in eccleſia per Chriſtũ ſummũ pontificẽ cõſecrati ſacerdotes, ac ſacrificant ſpirituales hoſtias deo patri per Chriſtum,ſua inquã ipſorũ corpora,& omnia quæ poſſidẽt,offerũt deo preces ſuas,laudes & gratiarũactionẽ,orant,p fratrib. & impetrant, non peccantibus ad mortẽ,dei gratiã. Atq; ad hunc modũ ſummũ agit pontificẽ Chriſtus in eccleſia, quæ quicquid habet ſanctimoniæ ſummo pontifici ſuo acceptũ refert.Ille enim in euangelio dixit,Ego pro eis ſanctifico me ipſum,

ipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati per ueritatẽ. Proinde omnia ſummi pontificis munia obit et exercet dñs noſter Ieſus Chriſtus uel hodie in eccleſia ſanctorũ, manetq; ſacerdos in æternũ, unicus ſanctorũ pontifex fidelis, perfectus, optimus, maximus. Hæc autẽ de Chriſto Ieſu pontifice maximo ſanctorũ, & ſacerdotio eius perpetuo in eccleſia fidelium hucuſq; perſtrinximus. Ex quibus id principio intelligunt fideles, quod Chriſtus dominus perpetuò eccleſiæ ſuæ præſens eſt, & q̃modo præſens eſt, quod is ſit unicũ eccleſiæ ſuæ caput, quod uitã, ſanitatẽ, iuſtitiã, ſanctificationẽ, & omne bonũ diſtillat atq; infundit in corpus, in quo uiuit & agit, à quo nunquã recedit. Deinde intelligit ſtupendã eſſe blaſphemiã, Chriſti hãc primã & reuera maximã gloriã, homini tribuere, adeoq; antichriſtũ eſſe q̃ ſe haberi uult pro ſumo põtifice Chriſti uicario. Nunquã reliqt ſuã eccleſiã in terris põtifex max. Chriſtus, neq; unq; deſeret: nullo ergo illi opus in eccleſia uicario. Ipſe oĩa põtificis munia obit & perficit fideliſſime.

Conſideremus nũc & regis munia potiſſima, uideamusq; quomodo Chriſtus Ieſus dominus noſter rex ſit ſumus, populi dei princeps & monarcha, optimus, maximus, æternus, inuictiſſimus, potentiſſimus. Regis eſt regere & gubernare ſuæ fidei creditũ populum, hunc liberare, ſeruare & defendere ab interitu. Hoc autẽ efficiunt reges legũ latione, iudicijsq; iuſtis partim, partim armis & uirtute gladij. Proinde promulgat & condit leges æquas, iudicat, audit cauſſas, pronunciat & fert ſententiã iuſtam rex. Idem habet geritq; gladiũ, quo & ſuos defendit, iuſtosq; aſſerit, et hoſtes repellit, iniuſtosq; conſcindit atq; reprimit.

Regis & principum munia.

Dixit ſanè dominus, Regnũ meũ non eſt hinc. Fugit deniq; cũ ipſum populus regẽ creare uellet, Ioan. 6. Cæterũ neq; ijs uerbis, neq; alijs in locis negauit abſolute ſe regẽ eſſe: non negauit ſe regnum habere in terris. Nam habet regnum in eccleſia ſanctorũ, quæ in terris agit. Negauit aũt ſe in terris aliorũ regũ more & ratione, ut uocãt, huius ſæculi, regnaturũ. Eligunt, creãtur & coronant reges huius ſæculi ab hominib. Chriſtus uero nihil poteſtatis aut dignitatis regię ab ullis accipit hominib. Nã in carmine Dauidis myſtico, dicit pater dñi noſtri Ieſu Chriſti, Ego uero cõſtitui regẽ meũ ſuper Zion montẽ meũ ſanctũ. Recenſebo decretum (iam inducitur filius loquens) Dñs dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me (ait iterũ pater) daboq; gẽtes ut ſint hæreditas tua, & terminos terræ, ut ſint poſſeſſio tua. Sceptro ferreo confringes eos, &c. Habẽt reges terreni ſua palatia, ſuas metropoles, ac urbes, præfecturasq; ſuas. Chriſtus uero nullũ in terris habet palatiũ, nullã metropolim. Aſcẽdens eñ è terris in cœlos, lõge maiora & præſtãtiora cõſequutus eſt. Cœlũ eñ Chriſti regia eſt, metropolis eſt Ieruſalẽ cœleſtis, nõ terrena, nõ ſanguinaria et impura Roma: urbes eius ſunt regna mũdi: prę fecturę, plagæ orbis. Prę terea reges huius ſæculi parãt plęrũq; regna ſua armis, et parata

Regnum meum non eſt hinc, excutitur.

defendunt armis. Habent itaq; exercitus, sed cõtra quos prævalet uis humana. Christi regnũ ut armis non paratur, ita neq; defenditur armis, sed protectione altissimi. Exercitus Christi deniq; inuictus est, contra quem non prævalent ne ipsæ quidẽ inferorũ portæ. Regna huius sæculi ferè untur pompa, & laudantur ex splendore & luxu. Huius uero in regno Christi nihil inuenias, imò contraria. Iudicia deniq; Christi iusta sunt, hominum regum plærũq; iniquissima. Erit iustitia, inquit Isaias, cingulum lumborũ eius, & fides baltheus feminũ eius. Ergo regnũ meũ, ait dominus, non est hinc. Imò per humilitatẽ et crucẽ intrauit rex noster in gloriã patris sui. Nónne oportuit pati Christum, ait ipse Christus, & intrare in gloriã suã? Dauid qui Christo prætulit typũ, principio ejcitur in exiliũ, fit opprobriũ hominũ, & abiectio plebis, tandẽ uero post multas ærumnas & calamitates, emergit in regnum florentissimũ. Ideoq; dominus noster humilẽ prębuit semetipsum, sicut apostolus loquitur, factus obediẽs usq; ad mortem, mortẽ autẽ crucis: quapropter & deus illũ in summã extulit sublimitatẽ, ac donauit illi nomẽ quod est supra omne nomen, &c. Ideo uero & Zacharias dixit, Dicite filiæ Zion, Ecce rex tuus uenit tibi humilis mansuetus & sedens super asinã. Hanc humilitatẽ cum non intelligunt aut recte æstimant Iudæi, aliũ nescio quem Messiam expectant, & uerum propter humilitatẽ cõtemnunt, cum uel ex unico Dauidis uersu, De torrente bibet, propterea exaltabit caput, mysteria regni Messiæ iam olim, nisi cæci esse mallent, perspexissent clarissime. Regna rursus sæculi minime diuturna sunt, quantũuis enim fortia, illustria & ampla sint, mox tamen dilabuntur & intereunt. Porrò regnum Christi ut nullis cirũscribitur limitibus, ita etiam æternum est. Dabit illi dominus deus, ait ad Mariam angelus, soliũ Dauid patris sui, regnabitq; super domum Iacob in æternũ, & regni eius non erit finis. Vidit apud Danielẽ potentissimus rex atq; monarcha Nabuchodonosor, per insomniũ statuam ingentem, quam tandẽ lapis cœlitus demissus contriuit, ipseq; mons ingens factus, impleuit totã terram. Ac Daniel interpretatur somnij mysteriũ, docetq; statuã monarchiarũ orbis gerere typũ, Assyriacæ nimirũ & Babylonicæ, Medicæ, Persicæ, Macedonicæ & Romanæ. Regnantibus uero regibus principibúsue Romanis, lapis, id est Christus dei filius, cœlitus descendens in uterum uirginis, incarnatus & homo factus est, mortuus & sepultus, ascendensq; in cœlum, regnum in orbe terrarũ excitauit. De quo Daniel, Temporibus, inquit, regum istorũ, deus cœli regnũ condet, quod æternis temporibus non destruetur, nec imperium eius alteri populo relinquetur. Cõminuet & finiet omnia ista regna, ipsum uero æternum stabit. Sic inquã regnũ Christi non est hinc. Oportet item regem nostrum non modo hominẽ esse uerũ, sed & deum uerum, immortalem, æternum, qui omnia norit, omnia possit, ubiq; sit, omnibus per orbem adsit.

adsit. Ergo sicut alij reges à sapientia & prudentia cõmendantur, ita hic noster ipsa sapientia est, uerbũ et consilium patris æterni: quippe de quo diuinus uates præcinuit, Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius imperiũ erit super humero eius (nimirũ quia non deponet illud, neq; alterius in humeros injjciet) & uocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Heros fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis. Proferet imperiũ & pacẽ sine cariturã. Super solium Dauidis, & super regnũ eius sedebit, ut instauret & fulciat illud iudicio & iustitia, ab hinc usq; in æternũ. Et sanè ubi dominus noster Iesus Christus natus esset sub Cæs. Augusto: Crucifixus autem, mortuus, & sepultus, tertia item die excitatus à mortuis, & sublatus in cœlũ sub Cæs. Tiberio, mox cœlitus regnare cœpit in ecclesia, quam in hisce terris apostoli Christo ex omnib. gentibus per totũ terræ orbẽ congregarunt. Pugnarunt quidẽ Romani principes cum Christo nolentes hunc regnare in mundo, sed uicit tandẽ Christus. Excisa est Roma & flãmis cõcremata, defeceruntq; in occidente Romani principes & imperatores, regibus Gotthorũ & Vuandalorũ Athalarycho, Genserycho, et Totila de sanguinaria urbe supplicium sumentibus. Atq; ita etiã statua egregie est cõminuta. Tunc autẽ per totum terræ orbem prædicata ueritate euangelica, regnabat in toto terrarũ orbe, etiã in medio inimicorũ suorum Christus, idem regnabit in ecclesia fidelium, in hisce etiã terris, superato demum & conculcato Antichristo ad consummationẽ usq; sæculi, deniq; inde quoq; in æternum usq; regnabit in gloria & regno patris sui æterni.

Ergo quia rex est dominus noster Iesus Christus, nomotheta est, legibus æquis & utilibus regnũ suũ, id est ecclesiã instruens atq; gubernans. Ita enim legis apud Isaiam, Erit postremis temporibus mons domus domini præparatus in uertice montium, & editior erit cunctis collibus, confluentq; ad eum omnes gentes, & proficiscentur multi populi, dicentes, Adeste, & ascendemus in montẽ domini, & ad domum dei Iacob, & docebit nos de uijs suis, ambulabimusq; in semitis eius: quoniam de Zion exibit lex, & uerbũ domini de Hierusalẽ. Ius dicet inter gentes, arguetq; populos multos. Eadem uerbotim repetijt & Michæas. Neq; uero de ulla alia lege loquuti sunt sancti prophetæ dei, quã de euangelica & apostolica. Hæc enim plene instruit ecclesiã de omnibus quæ ad pietatem pertinent, quomodo uidelicet seruus & subditus Christi se gerat erga deum et erga proximos, adde & erga semetipsum. Vanissimi enim sunt, qui clamitant nõ omnia pietatis capita ab ipso domino Iesu ac apostolis eius nobis esse tradita atq; relicta, & ideo multijugis hominũ legibus esse opus. Cicero sanè felicẽ putauit rempub. cum paucis cõtenta legibus, legibus duntaxat Tabularum 12. uteretur. Nemo ergo putet leges regis nostri nimis esse angustas. Sicut enim modo dicere cœperam, uerum dei cultum

Christus legislator est.

pleniſſime tradunt, internum & externum hominem perfectiſſime formant: officia deniq; præſcribunt parentibus, liberis, cõiugibus, dominis & ſeruis. Præcipiunt de recto, iuſto, legitimoq; facultatũ terrenarũ uſu, de contractibus. Decernunt multa contra auaritiã, fraudes, furta, cædes, luxum & iniurias. Formãt præterea magiſtratus, ac ſubditis officia præſcribunt. Charitatẽ et æquitatẽ ante omnia inculcant, quibus omnia comprehendunt officia, Paulo dicente, Qui diligit alterum, legẽ expleuit: domino item in euangelio teſtante, Omnia quæcunq; uolueritis ut faciant uobis homines, talia & uos facite illis. Hæc enim eſt lex & prophetæ. Ac illa quidem ſententia Alexander Seuerus Romanus imperator adeò delectatus legitur, ut & in palatio & in publicis operib. præſcribi iuberet. Proinde nihil deeſt rerum neceſſariarũ eccleſiæ, quam Chriſtus rex, princeps & dominus abundantiſſime legibus inſtruxit, easq; ſpiritu ſuo per miniſterium uerbi firmiſſime retinet in eccleſia, ijs hanc per ſpiritũ ſuum gubernans.

Chriſtus iudicat.

Sed & iudicis, id eſt ueri regis officio fungitur in eccleſia dominus noſter Ieſus Chriſtus: id quod nolim duntaxat intelligi de extremo iudicio, quo ueniet in nubibus cœli iudicaturus uiuos & mortuos, ſed de quotidiano iudicandi munere. Audit enim rex Chriſtus quotidie & ſingulis momentis querelas ſanctorum ſuorum. Nam deus eſt, licet homo ſit, uidet ergo & audit omnia. Dum ageret in terris, cogitationes aduerſariorũ ſuorum adeoq; corda eorum inſpexit. Sciuit quæ uentura erant & prædixit. Remota à ſe longiſſime quaſi præſentia uidit. Extra urbem conſtitutus Hieroſolymorum, uirum nondum baiulantem hydriam, diſcipulis ſuis depinxit, quem hi intro euntes iam nunc baiulare cernebant, ſicuti adumbrarat dominus. Hæc autẽ nondum clarificatus potuit & fecit, clarificatus ergo, & receptus in gloriã, nihil earum rerum neſcit quæ geruntur. Licet enim corpore ſuo agat in cœlis, demittit tamen ueluti clariſſimus ſol, diuinitatis ſuæ radios in terras, ut nihil ipſum fugiat aut lateat. Idem benignus & beneuolus eſt, qui diligenter & libenter ſuorũ cauſas audit, imò priuſquam exponant prænouit. Non enim difficilis eſt, nihil in eo moroſitatis. Dum ageret in terris neminem nõ amiciſſime excepit, ac muneribus onuſtum dimiſit. Multo magis nunc benignus, facilis, munificus & liberalis eſt, cum in gloria & maieſtate patris beneficentiſſimi cõſidet. Vnde apoſtoli omnes homines ad ipſum ceu obuium, apertum & largiſſimum omnis boni fontem inuitant, ut ex eo ad ſatietatẽ omnes hauriant omnia cordis deſideria, inq; huius ſinum ut patroni fideliſſimi, omnes querelas effundant. Neq; enim uota & deſideria ſuorum duntaxat audit, ſed & iudicat iuſte, pronuncians, decernens atq; ſententiã proferens ſanctiſſimam. Iſaias enim, Solium, inquit, præparabitur in benefi-
centia, ſedebitq; ſuper eo in ueritate, in tentorio Dauidis, iudicans, inqui-
rens

rens iudicium, & accelerans iustitiam. Ergo mature iustos & bonos asserit, iniustos & malos punit rex noster. Longanimitatis est, nõ negligentiæ si quando tardius ad uindictã descẽdere uidetur. Non euaserũt impij & uiolenti iram iusti uindicis, si quando tardius puniuntur: quemadmodum idem iudex iustus, iustorum non obliuiscitur, quantumuis grauiter & diu opprimantur. Clamat diuina uox, Dicite iusto quod bene ipsi futurum sit, siquidẽ fructu studiorum suorum fruetur. Væ autẽ impio, malo, quoniam secundum opera manuũ suarum rependetur ei. Quemadmodum aũt nunquã dormit rex ecclesiæ Christus, ita nulla ipsi præualet uis. Conterit reges & regna, & quicquid in orbe firmum & excellens est. Priusquã enim uenit in mundum & carnẽ nostrã assumpsit, regnum Syriæ attriuit, regnum Israëliticum coërcuit, ac regem Assyriorum potentissimum cum ualidissimo exercitu ad internicionem delens, cæcidit. Notissima hæc sunt ex prophetia Isaiæ. Sed & incarnatus dominus noster, & in humilitate adhuc super terras constitutus, suos potentissime asseruit, aduersarios autem repressit & fudit. Nemo enim ignorat quanta uirtute proruentem cohortem in horto oliuarum, ut ipsum caperent, prostrauerit, & inermes discipulos à furore Iudæorum liberauerit: quanta item uirtute omnem aduersariam potestatem fregerit, ipsum q; sathanam & Belzebub dæmoniorum principem spoliatum regno supplantarit. Porrò in cœlos receptus & clarificatus, regia officia iam longe potentius exercuit, & adhuc exercet in ecclesia. Nam apostolos suos, à principibus sacerdotum & senioribus conclusos in carcerẽ, per angelum suum liberauit, sicut & Petrum. Herodem autẽ Agrippam, qui Iacobum Ioannis fratrem truncarat capite in publica concione apud Cæsaream per angelum suum ita afflixit, ut phthiriasi fœdissimo morbo cõsumptus, horribiliter deficeret. Suppeditat autem liber Actuum apostolorũ innumera huius generis exempla, ex quibus discere licet potentissimum regem nostrum, suam ecclesiã fidelissime tueri, & iniquos impios q; hostes eius horrendis modis disperdere. Nã non inermis & imparatus est rex noster Christus, tametsi nullum gerat gladium ferreum. Habet enim exercitum inuictum, innumeras scilicet angelorũ legiones. Cæterũ unus angelus legitur ante Hierosolymorum mœnia Assyriorum occidisse centena & octoginta quinq; millia. Atqui regi nostro ministrant angeli millies mille, ac decies mille myriades ante ipsum stant. Habet rex noster mandatis suis obedientem Behemoth, cuius robur & potentiam uix multis absoluit iustissimus uirorum Iob. Deniq; seruiunt regi nostro omnes creaturæ. Eius imperium & dicta reuerentur omnia elementa mundi. Est enim deus sabaoth, præses ille & motor omniũ astrorum. Huius nutu cõmouentur, colligũtur & operãtur omnes impressiones igneæ, aqueæ & aëriæ. Hic rex noster fulgurat & tonat, totumq; nutu suo cœlum cõcutit. Idem habet in

ſua poteſtate omnis generis morbos, quos iuſto ſuo iudicio in terras effundit, uel à terris aufert. Vtitur opera dæmonum atq; armis hominum. Regnante Nerone Cæſ. uolente ita Chriſto principe & imperatore ſummo, conſcriptus eſt fortiſſimus ex toto penè terrarum orbe exercitus, ac duce Veſpaſiano ductus eſt cõtra ſanguinariũ populum Iudaicũ, in uindictam ſanguinis ſancti ſanctorũ, deniq; ſanctorum dei prophetarũ apoſtolorum & martyrũ, effuſi à gente hac incredula & rebelle. Idem rex & princeps noſter Chriſtus, Gotthos, Vuandalos, Alemannos, Francos et Langobardos contra ſanguinarium Romanorum imperium excitauit: qui in uindictam ſanguinis innoxij ſanctorum Chriſti martyrum, imperium illud exciderũt funditus, ut poſt nomen inane nihil ſuperſit reliquũ ueteris gloriæ & maieſtatis. Idẽ in diem nouos reges & duces fortiſſimos excitat, per quos & ſuos tuetur, & hoſtes ſuos proculcat. Cæterũ ubi uenturus eſt in extremo illo iudicio ſuo, iudicare uiuos & mortuos, tunc omnium illuſtriſſime potentiſſimeq; regiam ſuam maieſtatẽ toti mundo & omni carni declarabit, ſuos uidelicet cultores fideles omnes in cœlos ad ſeipſum transferens, contemptores autẽ ſuos & hoſtes populi ſui omnes præcipitans in tartara. De quo diuinus apoſtolus in hęc uerba ſcripſit ad Theſſalonicen. Iuſtum eſt apud deum reddere his qui affligunt uos afflictionem, et uobis qui affligimini relaxationẽ nobiſcum, cum reuelabitur dominus Ieſus de cœlo cum angelis potentiæ ſuæ, cum incendio flãmæ, qui infligit ultionem ijs, qui non nouerunt deum, & qui non obediunt euangelio domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pœnam luent interitum æternum, à facie domini & à gloria fortitudinis illius, cum uenerit ut glorificetur in ſanctis ſuis, & admirandus fiat in omnibus credẽtibus, quod fides habita ſit teſtimonio noſtro erga uos in die illo. Proinde iudiciaria poteſtate & munere regio non tantum in extremo die utetur, licet tunc omnium potentiſſime utetur: ſed exercet illud in ſingula momenta, dum fidelibus ſuis adeſt & conſulit, aduerſarijs ſeſe opponit, eosq; proterit. Eſt itaq; Chriſtus rex eccleſiæ ſuæ, in qua regnat, potẽtiſſimus, qui uidelicet poteſt omnia, qui adeſt omnibus, qui nõ delaſſatur ullis laboribus, neq; ulla frangitur uirtute aduerſaria. Idẽ iuſtiſſimus rex eſt. Nam nullas accipit in iudicio perſonas, nulla munera, iuſtiſſime iudicat, pauperem non negligens, neq; parcens opulento.

Solus Chriſtus monarcha eſt.

Huic regi ſummo, iuſtiſſimo, clementiſſimo, potentiſſimo & æterno debent merito & poſſunt tutò credere & obedire omnes homines. Nam in uno hoc & ſolo omnia inueniunt quæ à ſanctiſſimo & abſoluto omnibus numeris rege requiruntur. Hic monarcha eſt, & manet in æternum. Nullum ſibi ſubſtituit uicarium. Ideoq; regni inuaſor eſt, quiſquis ſe regis Chriſti in terris uicarium eſſe iactitat: factioſi & defectores ſunt, qui inuaſori atq; tyranno adhærent. Id quod nolim ſic intelligi, quaſi Chriſtus rex

ſtus rex omnes in terris reges regnis ſuis exuat, neminemq; in terris porrò regnare uelit. Etenim rex eſt regũ Chriſtus, & dominus dominantiũ, & princeps magnatũ terræ: proinde habet ſub ſe reges, principes & dominos. Aliòqui enim non eſſet rex regum. Cæterum reges, principes & domini illi terreni, ſummi principis et monarchæ Chriſti uaſalli & beneficiarij ſunt. Qui uero hoc non agnoſcunt, & Chriſto regi ſe non ſubijciunt, dum regnant in terris, ſentient aliquando iudicem ſeueriſſimũ. Porrò qui id agnoſcũt, & Chriſto obediunt, hi omnia ſua ex doctrina & ſpiritu Chriſti inſtituunt: quæ impia & contra Chriſtum recepta ſunt abrogant, reſeruant autem quæ Chriſto nõ repugnant: breuiter, leges omnes ad regulã Chriſti reformant, & ſeipſos unà cum regnis ſubijciunt & dedunt Chriſto: quemadmodum Conſtantinus, Valentinianus, Theodoſius, & alij reges atq; imperatores feciſſe leguntur. Sic autẽ monarcha & rex regum Chriſtus eſt atq; manet. Huc iam pertinet quod Dauid in carmine myſtico regem Chriſtum & regnum eius deſcribens, tandemq; ad principes orbis conuerſus canit, Sapite ergo ô reges, erudimini iudices terræ. Seruite domino in timore, & exultate cum tremore. Oſculamini filium ne iraſcatur, & pereatis à uia, breui exardeſcet furor eius. Beati omnes qui ſperant in eum. Dominus item apud Iſaiam conſolans eccleſiam conquerentem de paucitate fideliũ, dicit, Ecce tollam ad gentes manum meam, & ad populos ſignum meum erigam, & adferent tibi filios in gremio, & filiæ tuæ in humeris portabuntur. Et erũt reges nutricij tui, & reginæ eorum nutrices tuæ: uultu ad terrã demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorũ lingent, & ſcies quod ego ſum dominus, & quod non pudefient qui me expectant. Iccirco ſummus monarcha in orbe Chriſtus eſt, licet à multis ipſi regibus contradicatur. Nam is eſt de quo Dauid rurſus cecinit in carmine myſtico, Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellũ pedum tuorum. Dominus emittet uirgam tuæ potentiæ è Zion, dominare in medio inimicorũ eius. Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ ſuæ reges. Iudicabit in gentibus, & omnia plena cadaueribus erunt, conquaſſabit capita in multis regionibus. De torrente in uia bibet, ac propterea exaltabit caput.

Chriſtus eſt rex regum.

Hæc hactenus diximus de uero noſtro Melchizedek, de rege inquã & pontifice domino noſtro Ieſu Chriſto, regnante in eccleſia, et pleniſſime ſanctos atque fideles perficiente, ut his nulla alia opus ſit uirtute ſaluifica, nullo pontifice alio, nullo interceſſore alio, nullo ſacrificio alio, nullo propheta alio, nullo denicq; rege, principe, iudice, aſſertore, protectore & uindice alio. Regnat hic & uiuit in æternum, benignus, facilis, expoſitus, & liberalis erga omnes qui ipſum uera fide & ſpe adeunt. Porrò regem hunc & pontificem copioſius deſcribit euangelica hiſtoria. Eadem plenius docet fidem, ſpem & charitatem, qua ſubijci-

mur & ſeruimus regi Chriſto. Ad ipſam ergo enarrandam nunc deſcendimus, ut breuitatem huius compendij de rege & pontifice Chriſto copioſiore ſarciamus expoſitione. Breuis quidem & parca eſt Marci expoſitio ſi ſpectes uerba, copioſiſſima uero & ampliſſima ſi ſenſum & ſpiritum penſites. Diſtinxi Explanationum ſiue Cõmentariorum opus in libros VI, ac breuitati & ipſe in his ſtudui, non ut pari felicitate cum S. Marco me breuiter dicere poſſe putem: ſed quia Commentarijs in Matthæum æditis ſingula ferè copioſius enarraui. In preſenti ſatis eſſe putaui ſi totum hiſtoriæ contextum diligenter & pro mea facultate fideliter connecterem, obſeruatisq; & conſignatis locis potioribus ad Matthæũ relegarem. Sed & pauci adeoq; nulli apud ueteres in hunc ſcripſere hiſtoricum, nõ aliam opinor ob cauſam, niſi quod explicato Matthæo & hunc explicatum eſſe putarent. Ego certe ex uetuſtis neminẽ uidi qui hoc euangelium enarrarit. Nam Theophylactus, alioqui nõ indiligens interpres, ferè numeratur inter neotericos. Hieronymi commentarios, qui circũferuntur & ferè allegorias contexunt atq; nectunt, putauit non ſine grauibus rationibus D. Eraſ. non magis ſapere Hieronymum quàm ſorba ficum. Ex neotericis interpretibus nullum poſt beatæ memoriæ Zuingliũ hactenus uidere contigit, niſi unicum hunc Eraſ. cuius uerbis & expoſitione ideo utimur frequẽter, quod & doctus, perſpicuusq; fuit interpres, & diligentiſſimus ueterum interpretum lector.

Has uero lucubratiões noſtras tibi Froſchouere, dilectiſſime compater, dedico, idq; pro amore in te meo ac propter ſtudiũ illud tuum ardens erga cauſſam euangelicam, quam tu omnibus modis promouere contendis. Nullis enim laboribus, nullis ſumptibus parcis, ut multis per orbem hominibus ueritas illuceſcat euangelica per typographiam, quæ ſalubri & admirando dei conſilio ibi etiã prædicat, ubi prædicatores ac miniſtri Chriſti uel planè obticeſcunt, uel per tyrannidem prędicare nõ poſſunt. Ac tua hæc fides ſingularisq; diligentia tibi tuisq; profuit hactenus non parum, deniq; nõ modicis laudibus ornauit te apud domeſticos atq; exteros. Tu uide ut tui perpetuò ſimilis ſis, ut pergas benefacere multis. Nam qui in finem uſq; perſeuerat, iuſtam demum promeretur laudem. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit tecum. Tiguri Menſe Auguſto, Anno Domini M. D. XLV.

DE S. MARCO EVANGELISTA ET OPERE EIVS EVANGELICO.

PVTAT Epiphanius Salaminę Cypri episcopus S. Marcum è numero fuisse 70. discipulorum domini, qui uidelicet ipsum dominum Iesum in carne & uiderunt & audierunt. Id si uerum est, uidetur & illud uero nō dissimile quod Theophylactus refert Marcum hunc alio nomine appellatum fuisse Ioannem. Fuit ergo Marcus ex circuncisis, Hierosolymitanus ciuis, filius Mariæ illius, cuius mentionem faciunt Acta apostolorum in cap. 12. Proinde fuit & Barnabæ consobrinus siue patruelis, cuius meminit & apostolus Paulus ad Colos. cap. 4. Propter hunc nimirum, ut testantur Acta apostolorum, acriter inter se cōtenderunt Barnabas & Paulus, illo Marcum defendēte ac secum ducente, hoc uero grauiter repellente, Barnabæ iccirco aliquandiu adhæsit Marcus in munere & legatione euangelica apostolicáue, tandem coniunxit se Petro apostolo. Nam S. Hieronymus ipsum Petri & discipulū & interpretem nuncupauit. Eusebius enim Eccles. hist. lib. 2. cap. 15. Fratres, inquit, Marcum Petri discipulum urgentibus orant precibus, uti ea quæ ille uerbo prædicabat, ad perpetuam eorum commonitionem habendam, scripturæ traderet: quo domi foriś in huiusce modi uerbi meditationibus permanerent. Nec prius ab obsecrando desistunt quàm quæ orauerant impetrarent. Et hæc fuit causa scribendi, quod secundum Marcum dicitur euangelium. Petrus uero ut per spiritum sanctum religioso se spoliatū comperit furto, delectatus est, fidem eorum deuotioneḿ per hæc consyderans, factuḿ confirmauit, & in perpetuum legendam scripturam ecclesijs tradidit. Clemens in sexto dispositionum libro hæc ita gesta esse describit. Et illa hoc modo leguntur apud Eusebium. Hinc factum arbitror, quod quidam interpretum hunc historicum numerant inter illos, qui quæ tradunt ecclesijs ab alijs acceperunt: quibus id nimirū uidetur, quod & euāgelica historia proditum legimus, dominū Iesum elegisse quidem discipulos LXX. sed peculiariter tamen mysteria regni dei apetuisse apostolis XII. Proinde Petrum exactius potuisse testari de singulis dictis & factis Christi domini, quàm Marcum, licet & hic uiderit audierit́ ipsum dominum. Itaq; uisum est illis Marcum euangelica historia prodidisse ecclesiæ Christi illa quæ ipse partim uidit & audiuit, partim uero ab apostolis Christi, maxime autem Petro accepit. Ego uero ut negare non possum S. Marcum Christi & Petri fuisse discipulum, & à præceptore Petro didicisse audisséue quamplurima: ita rursus euangelicæ historiæ ueritatem & authoritatem non possum deriuare, nisi à spiritu ueritatis: ex quo constat scripsisse Marcum, & docuisse Petrum, ut propter cōmunem spiritum non minus credi debeat S. Marco discipulo aut apostolico, quā ipsi S. Petro magistro & apostolo. Alioqui & discipulos è numero LXX. non minus quàm ipsos apostolos XII. de Christo testificari posse, sed & plenam fidem mereri, illud manifeste arguit, quod ipse S. Petrus in Actis dum surrogandus erat in perditi Iudæ locum alius apostolus, dixisse legitur, Oportet ut ex his uiris, qui nobiscum uersati sunt toto tempore quo dominus Iesus perpetuam uitæ consuetudinem egit nobiscū (siue ut linguæ sacræ idiotismus habet, In quo intrauit & exiuit inter nos) exorsus à baptismo Ioannis ad eum usq; diem, quo receptus est à nobis, unusquisp̄iā constituatur, qui sit unà nobiscū testis resurrectionis eius. Nihil ergo uilior aut leuior haberi debet à quoq̄ S. Marci testificatio, quod apostolicus nō apostolus, & è numero LXX. discipulorū, non è choro apostolorū duodenario fuit. Cæterum assumpto euangelio quod ipse cōscripserat, perrexit in Aegyptum, & primus Alexandriæ Christū annuncians, cōstituit ecclesiam illustrissimam sanctissimaḿq;. Inde uero euangelij fulgor in uniuersam resplenduit Aphricam, in Pentapolim, Libyam, atq; cæteras Aphricæ partes. Excessit tandem Alexandriæ anno Neronis 8. à morte Christi domini trigesimoprimo, succedente sibi Aniano. Seruiuit ergo Christo pontifici & principi monarchǽq; summo, ac castissimæ eius sponsæ ecclesiæ, annos plus minus 30. Quid quod relicto scripti sui monimento uel hodie seruit ecclesiæ, docendo ac testificando, seruietq; donec sæculum finietur.

Marcus discipulus Christi è numero 70.

Marcus discipulus S. Petri apostoli.

Ex æquo merentur fidē & apostoli & apostolici.

Quibus prædicarit & quos conuerterit S. Marcus.

De tempore quo euangelium scripsit S. Marcus nil certi habeo. S. Augustinus de Consensu euangelistarum appellat Marcum Matthæi pedissequum & abbreuiatorem: iccirco euangelium Marci à multis Epitome euang. Matthæi appellatum est. Certe Marcus breuitati studuit, gratissimáq; & maxime perspicua breuitate per 16. capita exponit, quę Matt. per 28. ca. copiose enarrauit. Theophylactus, Charaćter, ait, euāgelij secundum Marcum manifestus est, nihiĺq; habet obscuritatis, aut in quo mens hæreat. Et ferè per omnia cū Matthæo eundē habet processum, nisi quod Matthæus diffusior est. Omnia illius uiuacissima quadam euidentia florent atq; uiuunt. Delectum quoq; adhibuit in ipsis rebus. Verbis utitur proprijs maxime & perspicuis. Ordine progreditur pulcherrimo & ad docendum appositissimo. Fucum sæcularis sapientiæ & loquentiæ nusp̄iam rei per se alioqui splendidissimæ illeuit: tota dictio uiget spiritus sancti ueneranda maiestate & eloquentia. De quibus recte iudicabunt quorum pectora spiritu sancto, quo authore hoc scriptum est proditum, nō destituuntur. Dominus Iesus illuminet nos omnes luce sancti sui spiritus, Amen.

Euang Marci Epitome euāg. Matthæi.

COMMENTARIORVM IN
EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM.
LIBER PRIMVS.

AVSPICATVR *historiam euangelicam S. Marcus à baptismo & doctrina Ioannis Baptistæ, indicans quid docuerit, quid de Christo domino testificatus sit, quomodo se gesserit, ac Christum dominum baptizarit. His adijcit protinus quomodo unctus reuelatusq; sit Christus, quomodo tentatione graui sit exercitatus, postremo quomodo prodierit ac regnum dei prædicarit. Hic uero adhibet sibi ab initio protinus dictorum & factorum suorum testes, uocans aliquot discipulos, quos formet orbis totius doctores, quando uenerat totum orbem ueritatis doctrina illuminaturus, atq; redempturus ex potestate peccati, mortis, inferorum, atq; Sathanæ. Illis subiungit maximum doctrinæ Christi effectum atq; uirtutem. Omnes enim stupent super doctrina eius. Coercetur imò & ejicitur sathanas, qui Christo cũ tremore cedit. Postea describitur ipse Christus & uirtus Christi omnipotens, ex factis. Omnes enim morbos curat, omnia mala pellit, peccata remittit, peccatores iustificat & restituit integritati. Suppeditantur interim uaria fidelibus exempla, in ijs qui Christum imploraturi opem accedunt, quomodo nos quoq; oporteat accedere ad Christum. Mox repurgat dominus ieiunia & feriatas populi sui ab erroribus phariſaicis, interim & uires suas depromit, demonstrans se esse filium dei. Cæterum cum ad hunc modum satis se insinuasset suorum animis ut iam intelligere inciperent uirtutem Christi filij dei, ex ipsis designat duodecim, quibus prædicandi euangelij munus iniungit, eosdem & potẽtia edendorum miraculorum instruit. Deinde ostendit quod successus euangelij & miracula euangelica uirtuti diuinæ, non sathanæ aut magiæ sint tribuenda. Sed & suo exemplo indicat quales esse oporteat uerbi dei prædicatores, qui nimirum renunciarint carni & sanguini, & qui sint filij dei. Ex qua occasione protinus differit copiose de semine ex quo nascuntur filij dei, de auditu uidelicet uel auscultatione uerbi dei, de effectu ui successu & fructu uerbi dei. Quæ omnia elegantissimis inuoluta & cooperta parabolis proponit. Adiungit item morbos uitia et pericula quibus obnoxium est semen dei, ubiq; interim uirtutem Christi maximam prædicans.*

CAP. I. INITIVM EVANGELII IESV CHRISTI FILII DEI, sicut scriptum est in prophetis, Ecce ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. Vox clamantis in deserto, Parate uiam domini, rectas facite semitas eius.

Insolitum auribus nostris loquendi genus orationem nonnihil reddit obscuram. Si ergo sic ordinaueris uerba euangelistę, clarior erit sententia, Euangelium Iesu Christi filij dei ad eum modum incœpit, sicut scriptum est in prophetis. Vel, Euangelium Iesu Christi filij dei tale habuit initium, quale habiturum prædixerunt prophetæ. Iam adde his quibus absoluatur sensus. Prophetę uero, Malachias nimirum & Isaias, prædixerunt fore, ut pręambulo quidam illustris proxime aduentui & prædicationi Christi domini præcurrat, qui in deserto prædicet & præparet uiam uenienti Christo. Venit ergo Ioannes Baptista, prædicans in deserto & uiam Christo præparans: qua re saluti humanæ & negotio per Christum absoluto redemptionis, euangelio inquam, initium dedit &c.

Titulus & argumẽtũ operis. Præfigit autem hoc modo operi titulum Marcus, & in titulo comprehendit argumentum operis. Titulus est, Euangelium de Iesu Christo dei filio. Argumentum est, Dicetur de Iesu Christo dei filio, quomodo saluos faciat credentes. Nam euangelium definijt Paulus potentiam esse dei ad salutẽ omni credenti. De Euangelio dixi in Commentarijs nostris ad Matt. & Ioan. Cõmendat ergo semetipsum orbi opus ex materiæ præstantia & dignitate. De filio dei contexitur historia, ac de uera salute & felicitate mortalium. Dei filio nihil præstantius habet hic orbis. Insitum autem est cunctis mortalibus ut felicitatem expetant; quæ ut spinosis di-

sputatio-

sputationibus philosophorum inuoluta, & mendacijs obscurata imò surrepta est mundo: ita eadem apostolorum & euangelistarum simplicissima clarissima & uerissima doctrina proponitur adeoq; restituitur. Hic finis, hic fructus est huius historię euangelicę secundū Marcum ędite. Huc properet quisquis salutaria & maxima quæq; de Iesu Christo dei filio, rege summo & pōtifice maximo, quisquis denicq; ueram compendiariam & certissimam rationem consequendi ueram & æternam felicitatem audire & cognoscere cupit.

Marcus mox ab initio disertis uerbis Iesum Christum dominum nostrum appellat filium dei, sicut & Ioannes postea fecit. Matthæus nuncupauit filium Dauidis. Cum autem hæc scriberet Marcus, nondum uenena sua effuderant contra diuinitatem Christi, sathanæ progenies hæretici. Simpliciter ergo dei filium appellat dominum, non addens uerum, naturalem, substantialem, non adoptiuū, nuncupatiuum aut simile quidpiam: quæ postmodum ex contentione exorta & necessario adiuncta sunt. Ab initio enim cum dominus noster ab apostolis appellabatur dei filius, id omnes intelligebant nō de adoptato patris filio, sed genuino & uero naturali adeoq; coæquali patris filio. Nam nemini obscurū tunc erat, quamobrem ipsum in crucem egissent male grati Iudæi, nimirum quod sibi patris usurpasset gloriam. Apud Pilatum enim ante prætorium una uoce exclamabant omnes, Nos habemus legem, & secundum legem nostram debet morí: quia filium dei se fecit. Atqui gloriabantur omnes Iudæi se esse filios dei, nimirum adoptatos à deo. Itaq; Christo nō id impingunt criminis, quod se appellasset adoptatum dei filium. Nam pro crimine non habebatur inter ipsos, imò glorioſum erat uocari filios dei: sed quia naturalem & consubstantialem se dei filium, patri æqualem per omnia esse prædicarat, & uere quidem prædicarat. Ab initio itaq; fideles simpliciter & recte intelligentes scripta & dicta apostolorum & euangelistarum, nihil dubitabant de uera filij diuinitate: quam postea impijs suis disputationibus in dubiū uerterūt spinosi hæretici. De quibus dictū est in euangelio Ioannis. Qui sapiunt docti & indocti, fidei ueritatem & simplicitatem tenentes, cōfitentur Iesum Christum & filium esse dei, & filium Dauidis, uerum inquam deum & hominem: abhorrent autem ab irreligiosis disputationibus impijsq; & blasphemis assertionibus hæreticorum. Nisi enim dominus noster uerus & naturalis esset deus & homo, nunquam posset esse mediator inter deum & hominem, nunquam esset rex & pontifex omnium fidelium & saluator mundi.

Christus Iesus dei filius.

Porrò euangelij de Iesu Christo dei filio negotium, ab ipso cœpit Ioanne baptista & prædicatione eius. Diserte enim Marcus, Initium, inquit, euangelij, prout scriptum est in prophetis. Sed & Petrus apostolus in Actis cap. 10. eius exordium inde deducit. Vbi sunt itaq; illi, qui contendunt Ioannē non fuisse euangelistam, sed medium inter legem & euangelium? Illud rursus nemo sic intelligat, quasi ueteres ante Ioannem baptistam omni caruerint euangelio. Habuerunt enim euangelij promissiones amplissimas & splendidissimas. Cæterum nobis præstitit quod illis promisit: unde retecto & exhibito gaudemus euangelio: & Ioannes prædicabat iam nunc appropinquasse regnum dei, & medium astare quem uotis ardentissimis exoptauerint sanctissimi quiq;, imò eundem demonstrauit digito adiectis simul hisce uerbis, Ecce agnus dei qui tollit peccatum mundi. Ac quo plus fidei inueniret expositio Marci, prophetarum uaticinia producit in medium. Gemino autem utitur testimonio, altero quidem sumpto ex Malachiæ cap. 3. altero ex cap. Isaiæ 40. Minatur dominus apud Malachiam Leuitis non bona fide suo fungenti bus officio grauissima quæq;, tandem uero & deiectionem de gradu, abdicatio-

Euangelij negotium prædicatione Ioanis inchoatum est.

Exponitur locus Malach. 3.

nemq̃ officij & muneris ſacerdotalis. Quibus addit dominum alios ſibi delecturum miniſtros, qui in officio fideliores ac diligentiores ſint futuri, apoſtolos nimirum, ac in primis legatum illum inſignem, qui ipſum Meſſiam ſit præceſſurus, Ioannem baptiſtam. Verba prophetæ hæc ſunt, Ecce ego mitto legatum meum, qui complanabit uiam ante me, ſubitoq̃ ad templum ſanctum ſuum ueniet dominus, quem uos quæritis, & legatus fœderis quo uos delectamini. Ecce uenit, ait dominus exercituum. Quis uero diem aduentus eius ſuſtinuerit? aut quis cum ſe conſpiciendum prębet, conſiſteret? Eſt enim ueluti ignis excoquens, & ut borith fullonum. Sedebit itaq̃ excoquens & repurgans argentum, filios Leui mundabit, expurgabitq̃ eos ut aurum & argentum &c. Primum mittitur angelus legatus inquam & præambulo Chriſti Ioannes, qui complanat & parat uiam Chriſto, per prædicationem præparans corda fidelitũ ad recipiendum Meſſiam. Deinde ſubſequitur mox quaſi inſiſtens ipſius Ioannis ueſtigijs ipſe Chriſtus, legatus fœderis, is nimirum qui ſanguine fuſo nouum & æternum fœdus inter deum & homines ferit, quem deſyderant & quo delectantur omnes ſancti. Venit autem in templum ſuum, in ipſam uidelicet ſanctorũ eccleſiam: in qua dum omnia iuxta patris ſui uoluntatem reformat, Leuiticos etiam ſacerdotes excoquit atq̃ repurgat ueluti argentum, deiectis pleriſq̃ de gradu, & ſeruatis aliquot certe opidò paucis ad miniſterium euangelicum prædicatoribus. Locum Iſaiæ tractaui in Matth. cap. 3.

Baptizabat Ioannes in deſerto, prædicans baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum.

Quid & quomodo egerit Ioannes baptiſta.

Exponit quomodo impleti ſint ſermones prophetarum, uidelicet quomodo præambulo Ioannes uenerit, euangelij negotium incœperit, uiamq̃ præpararit Chriſto principi. Baptizabat, inquit, Ioannes in deſerto. Baptizabat autem ex inſtituto dei aquis Iordanis homines Chriſtianiſmo ſeſe dedere uolentes. Vnde & nomen baptiſtæ inuenit. Primus enim deo iubente homines aquis baptizauit, & ita Chriſtianiſmo dedit initium. Rogas an tantummodo baptizarit? Sequitur, Prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Baptizauit quidem aquis Ioannes, ſed interim docuit, & auditores ad baptiſmum recipiendum adhortatus eſt. Doctrina Ioannis duo habuit capita potiſſima, ſicut & apoſtolica, nempe Pœnitentiam & remiſſionem peccatorum. Docuit enim pœnitentiam, atq̃ ſuaſit omnibus hominibus, ut ſe conuertant ad deum, agnoſcant peccata, confiteantur ea deo, & credant illa ſibi per Chriſtum eſſe remiſſa. De hac doctrina Ioannis plura require ex tertio capite Matthęi, & Ioannis capite primo. Iunxit doctrinæ ſymbolum baptiſmi. Baptiſmus ſignum eſt pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum, quo deus atteſtatur ſe credentibus peccata abluere ſiue remittere, & quo nos pœnitentiæ per omnem uitam agendæ conſignat atq̃ admonet. Commode ergo & recte qui prædicabat pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, ſimul conferebat ſymbolum pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum. Sic inquam prædicando & baptizando initium dedit euangelio. De Baptiſmo dixi apud Matt. in cap. 3.

Lucæ 24.

Baptiſmus.

Et egrediebantur ad eum tota Iudæa regio ac Hieroſolymitæ, & baptizabantur omnes ab illo in Iordane flumine, confitentes peccata ſua.

Fructus prædicatiõis Ioannis.

Sequitur quomodo populus exceperit prædicationem noui illius præconis & euangeliſtæ. Non enim caruit fructu ſuo uerbum dei per ipſum prædicatum.

Accur

Accurrunt ergo confertim Iudæi & Hierosolymitæ omnes, bona nimirum populi portio, ex omnibus Iudææ partibus ciuibusq; Hierosolymitanis, & baptizabantur ab ipso. Simul autem confitebantur peccata sua. Respuit enim baptismum qui nulla sibi purgatione ablutioneq; opus esse credit. Ergo hoc ipso quod baptizabantur, palam testificantes confitebantur se esse peccatores, quibus purgatione criminum esset opus. At Ioannes addebat credentes per Christum purgari à peccatis. Ego enim, inquit, baptizo aqua, ille autem baptizabit uos spiritu sancto & igni: Christus inquam uere à peccatis purgat & spiritum sanctum confert. Huic ego uos præparo. Plura require ex 3. cap. Matth.

Erat autem Ioannes uestitus pilis camelinis, & zona coriacea circum lumbos suos, uescebaturq; locustis & melle syluestri.

Adumbrat hisce mores doctoris huius euangelici. Permultum enim refert quibus moribus præditus sit doctor ueritatis, ne uidelicet uita improba deijciat, quod sana alioqui extruxerat doctrina. Proinde uita & mores Ioannis baptistæ per omnia respondebant doctrinæ. In uestitu enim & uictu hominis mores relucent maxime. Verum is parabilis fuit, frugalis & temperans: fuit itaq; tota homini suita sanctissima temperantissimaq; per omnia. De his copiosiora dedi in tertio capite Matthæi. *Mores euãgelici doctoris.*

Et prædicabat, dicens, Venit qui fortior est me, post me, cuius non sum idoneus, ut procumbens soluam corrigiam calceamentorum eius. Ego quidem baptizaui uos aqua: ille uero baptizabit uos spiritu sancto.

In genere dixit Marcus Ioannem prædicasse, iam etiam quid prædicarit populo subiungit, Prædicauit Christum Iesum, & in ipso remissionem omnium peccatorum: quippe cum sit omnipotentis dei patris omnipotens filius, Messias uerus, cui nulla potest creatura quantumuis sancta & excellens, conferri. Deinde sedulo adhortatus est uenientes ad pœnitẽtiam, exposita ui significationeq; baptismi, quod conferebat. Reliqua pete ex 3. cap. Matthæi, & primo capite euangelij secundum Ioannem. *Ioan bapt. Christum prædicat.*

Et factum est in diebus illis, ut ueniret Iesus à Nazareth Galilææ, & baptizaretur à Ioanne in Iordane. Et statim cum ascenderet ex aqua, uidit diffindi cœlos, & spiritum tanquam columbam descendentem super illum. Et uox edita est è cœlis, Tu es ille filius meus dilectus, in quo placatus sum.

Omnia quæ hucusq; dixit & fecit Ioannes, in hoc dixit & fecit, ut plebem Christo præpararet, adeoq; absoluerat iam suum officium, nec restabat aliud, quàm ut ipse dei filius iam ueniret, à Ioanne populo digito monstraretur, totiq; mundo reuelaretur à patre. Id uero quomodo factum sit præsentibus describit S. Marcus, Venit, inquit, Iesus à Nazareth uiculo Galilææ, in quo fuerat nutritus atq; educatus: uenit inquam humilis, nullo comitatu, ut quiuis è plebe, & inter peccatores, ac ad baptismum uenit. Baptizatur enim à Ioanne, atq; corpori omnium credentium inseritur, ne dubitemus illum omnino esse nostrum. Deinde sanctificat Christianum baptisma iam antea etiam diuina institutione sanctificatum, docens sacramenta non esse contemnenda aut etiam negligenda. Vbi autem baptizatus esset & iam in hominum frequentia ex Iordane ascenderet, inungi- *Reuelatur populo Iesus Christus.*

tur inauguraturq; à patre, & teſtimonio patris cœlitus edito reuelat̃ declaraturq; orbi quis ſit, & quid per ipſum habeant credentes. Vidit enim Ioannes (nam ad Ioannem baptiſtam referendum eſſe uerbum Vidit, docet euãgeliſta Ioannes in capite primo) diffindi cœlos & ſpiritum ſanctum in ſpecie columbæ cœlitus deſcendere, & capiti Ieſu inſidere. Ita inungebatur inaugurabatur q; regno & ſacerdotio, ſigno uiſibili, qui alioqui plenitudinem ſpiritus habebat. Edita uero cœlitus uoce dei patris declarabatur, quis ſit hic unctus ſiue Meſſias, & quid ab ipſo & in ipſo habeamus, reconciliationem, gratiam dei, pacem, iuſtitiam & uitam. Sed quid attinet de ſingulis exactius diſputare, cum copioſe de ijs diſſeruerim Matth. 3. & Ioan. 1.

Chriſtus unctus

Et continuo ſpiritus illum expellit in deſertum, & erat illic in deſerto dies quadraginta, & tentabatur à ſathana, eratq; cum feris, & angeli miniſtrabant illi.

Vnctionem ſequitur tentatio

Baptiſmum Chriſti & unctionem, non deliciæ & uoluptas, ſed grauis & periculoſa ſequitur tentatio, ut hinc diſceremus quid expectent, qui nomina ſua in baptiſmo huic dederunt principi. Oportuit illum præterea qui uenerat ſeruaturus credentes, & probari per omnia & uincere in omnibus. Hæc explicata ſunt à nobis in quarto capite Matthæi. Matthæus enim plenius tentationem hanc depingit. Addit Marcus dominum uixiſſe inter beſtias ſiue feras, quo ſignificare uoluit dominum quadraginta diebus & noctibus plane abſtinuiſſe ab omni conſortio & ſolatio hominum: ne uidelicet nos quoq; pigeat, ſi ita tulerit caſus & gloria dei flagitarit, degere cum feris: quemadmodum & Heliam feciſſe legimus & prophetas Hebr. 11. cap.

Poſtquam autem comprehenſus eſſet Ioannes, uenit Ieſus in Galilæam, prædicans euangelium regni dei, & dicens, Impletum eſt tempus, inſtatq; regnum dei: reſipiſcite & credite euangelio.

Prodit Chriſtus.

Prodit nunc dominus cui Ioannes uiam aperuerat, ut regnum dei prædicans, ipſe iam in electis regnare inciperet. Notatur ante omnia tempus & locus. Tempus, Vbi in uincula coniectus eſſet Ioannes. Locus, Galilæa. De utroq; dictum eſt Matthæi capite quarto. Porrò in genere dicit quid prædicarit docueritq; Chriſtus dominus, Euangelium regni, lætum haud dubie nuncium de Regno dei, nempe quomodo participes fiamus regni dei, ut dũ hic uiuimus in terris, regnet in nobis Chriſtus, & ubi hinc ſoluerimus, quomodo in regnum dei recepti regnemus cum illo in ſæcula ſæculorum. Non autem contentus eſt Marcus ſcopum & ſummam conſignaſſe prædicationis domini, quinimo formulam certam prædicationis eius ſtatim ſubiungit, certè ut ex una æſtimemus alias omnes. Interim uerbotim non commemorauit omnia quæ dixit, ſed potiſſima ac prima capita: quorum quatuor hic conſignantur. Primum, Impletum eſt tempus. Dependet hoc ex promiſſionibus ueteris teſtamenti. Lex enim & prophetæ certum aliquod tempus deſignarant in quo ſalus omnium credentium perficeretur per incarnatum & mactatum dei filium. Daniel enim à Gabriele archangelo audit, Septuaginta hebdomades præfinitæ ſunt populo tuo & urbi tuæ ad conſummandum ſcelus, & perficiendum peccata, & expiandum iniquitatem, & ad iuſtitiam ſempiternam adducendum, & obſignandum uiſiones & prophetas, & ungendum ſanctum ſanctorum. Iam uero, Hoc, inquit Chriſtus, tempus impletum eſt. Ex eo ſequitur ſecundum, quod ipſum etiam explicat primum, Inſtatq; regnum dei. Per Chriſtum enim aperitur credentibus aditus ad patrem in regnum dei, demi-

Quid prædicarit Chriſtus.

Impletum eſt tempus.

Inſtat regnum dei.

que

que regnat deus ſuper terram quoq; ſpiritu, ui & uerbo ſuo in medio fidelium ſuorum. Omnia ergo quæ de ſalute & uita æterna, de iuſtitia ſanctorum, de regno dei in hoc ſæculo, prædixerunt prophetæ, iam nunc inſtant, inquit, & exhibentur atq; complentur per Chriſtum. Docuit itaque quos per Chriſtum theſauros habeamus. At dicat aliquis, Quomodo illorum fiunt participes homines? Sequuntur duo reſidua capita, Tertium, Reſipiſcite. Quiſq; in ſemetipſum deſcendat, qualis ſit corruptus peccator & damnatus ex ſeipſo, agnoſcat, confiteatur peccata, deniq; ab ijs auerſus conuertatur ad miſericordiam dei. Sequitur enim quartum, quo abſoluitur tertium, Et credite euangelio. Tametſi ſentitis uos eſſe peccatores & iuſto dei iudicio damnatos, attamen ne deſperaueritis in peccatis ueſtris. Credite euangelio annuncianti quod deus propter peccatores filium unigenitum miſit in mundum, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat uitam æternam. Credite ergo in filium dei ſaluatorem mundi. Fide percipite dona dei, fide coniungamini deo. Loci ergo communes quos tractauit in ſuis concionibus dominus Ieſus hi ſunt, Impletio ſcripturarum. Veritas uerbi dei. Regnum dei & liberatio filiorum dei. Agnitio confeſſioq; peccatorum, ac pœnitentia. Fides in filium dei. Euangelium &c. Hinc diſcant euangelici concionatores formare conciones ſuas ſacras: & quid ſit legitime prædicare euangelium Chriſti. Obſeruanti enim diligentius, apparet Ioannis baptiſtæ, Ieſu Chriſti & Apoſtolorum eius doctrinam eiuſdem eſſe generis, ueramq; euangelij prædicationem. Omnes enim pœnitentiam & remiſſionem prædicarunt in nomine Chriſti. Hæc eſt uera infallibilisq; & ſalutaris prædicatio ueritatis. A qua ſi quis aberrauerit ſentiet iudicem ſeueriſſimum.

Reſipiſcite.

Credite euangelio.

Euangelicæ conciones.

Cum ambularet autem iuxta mare Galilææ, uidit Simonem & Andræam fratrem eius, iacientes retia in mare. Erant enim piſcatores, & dixit eis Ieſus, Sequamini me, & faciam ut efficiamini piſcatores hominum. Ac protinus relictis retibus ſuis, ſequuti ſunt eum. Et progreſſus illinc paululum, uidit Iacobum filium Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, qui & ipſi in naui reconcinnabant retia, ſtatimq; uocauit illos: & illi relicto patre ſuo Zebedæo in naui cum mercenarijs, ſequuti ſunt eum.

Venerat ſanè filius dei ſaluandis omnibus illuminandisq;: unde uoluit ea quæ docebat, non tantum ad Iudæos & pauculos aliquot pertinere homines, ſed ad omnes. Deligit itaq; dictorum & factorum ſuorum teſtes, quos ſibi adhibet & familiariſſima conſtringit conuerſatione, ut hi tandem in orbem terrarum egreſſi, quæ uiderant & audierant à domino, teſtificantes annunciarent apud omnes gentes. Commode ergo & ſuo in loco mox à doctrina Chriſti, commemorat S. Marcus uocationem quorundam apoſtolorum. De qua conſule Matth. in quarto capite.

Deligit Chriſtus teſtes.

Et ingrediuntur Capernaum: & ſtatim ſabbatis ingreſſus in ſynagogam, docebat, & ſtupebant ſuper doctrina eius. Docebat enim eos, tanquam authoritatem habens, & non ſicut ſcribæ.

Pertinent & hæc ad locum doctrinæ, & indicant quanta cum ſedulitate oporteat prædicare euangelium, quod tanta cum diligentia & fide prædicauit ipſe dominus. Imò hoc præ cæteris Marcus ſibi peculiare habet, quod creberrime incul-

Quanta cũ ſedulitate prædicandum euangelium.

cat Iesum dominum nostrum docuisse. Delegit autem sibi Capernaum ciuitatem flagitiosam, ne quis putaret gentem sceleratam prædicatoribus esse fugiendam. Tempus uero omne aptum & idoneum est prædicationi euangelicæ, sed sabbatum in primis, quod diuinitus propter cultum dei retinendum, est inuentum. Ita locus quoq; quilibet idoneus est prædicationi si res & necessitas sic postulet: uerum synagoga aut templum omnium appositissime conuenit. Indicatur quoq; quàm efficax fuerit doctrina Christi. Sic enim illa omnibus commendatur prædicatoribus, ut spretis constitutionibus & doctrinis hominum, illam unice complectantur & ecclesiæ tradant. Sic enim & ipsi cum authoritate docebunt. Plura require de Capernaum & synagogis ex quarto capite Matthæi, & de authoritate doctrinæ Christi ex fine capitis septimi apud Matth.

Veritas authoritatem habet.

Et erat in synagoga eorum homo obnoxius spiritui immundo, & exclamauit, dicens, Eia quid rei nobis tecum est Iesu Nazarene? Venisti ad perdendum nos? Noui te quis sis, nimirum, ille sanctus dei.

Quis & quantus Christus, quid nobis conferat.

Declarat Marcus quis & quantus sit Christus, & quid nobis conferat, idq; ex uirtutibus, ostendit item quantus sit effectus euangelij Christi. Pellitur uirtute Christi per euangelium sathanas, liberanturq; & purgantur fideles per Christum. Hic respuit testimonium sathanæ tametsi uerum sit: partim ut doceat nos nihil prorsus tribuere sathanicis responsis & factis, tametsi in speciem ueris & non malis. Mendax enim est & author mendacij: nec alio fine quàm ut decipiat dicit & facit quæcunque dicit & facit. Partim ut inde colligueſcat dominum nihil habere consortij cum sathana, neque illius ulla in re egere auxilio. Pingit interim Marcus mores sathanicos simulationemq; artificiosam, quo minus noceat sanctis cognitus. Hic ex substantia sua spiritus appellatur: ex ingenio autem atque moribus impuris, immundus spiritus. Tanta uero Christi uirtus est etiamdum adhuc agentis in humilitate, ut uictum sese ipsi subijciat sathanas. Simulat se innoxium, & multa Christo concessurum, modo & ipse in aliquam partem regni admittatur, non ejiciatur prorsus. Ita enim & hodie inuenias, qui euangelicis multa & magna concedant, modo hi rursus polliceantur se non omnia religionis exacturos ad uiuum. Sanctus ille dei nimirum Christus est sanctificans totum genus mortalium, in lege & prophetis promissus. Danielis capite nono.

Et increpauit illum Iesus, dicens, Obmutesce, & exi ab eo. Et cum laniasset eum spiritus immundus, exclamassetq; uoce magna, exijt ab eo. Et obstupuerunt omnes, ita ut rogitarent inter se, dicentes, Quid est hoc? Quæ doctrina noua hæc? Quia cum authoritate etiam spiritibus immundis imperat & obediunt ei. Emanauit autem fama eius statim in totam undiq; regionem Galilææ finitimam.

Sathanas nõ audiendus sed calcandus est.

Suo exemplo docet dominus nulli pio blanditias uerborum sathanæ mirandas esse, simulata beneficia indulgentiamq; blandam nullatenus admittenda. Nam dominus magnifica quædam prædicãtem de ipso increpat, ac Obmutesce, inquit, & exi de eo. Proinde renunciant diabolo per omnia fideles, nec aliud cogitant, dicunt, faciunt, quàm ut ejiciantur & calcentur quæcunq; sunt diabolica. Nam cum diabolum appello, ipsam uim sathanicam intelligo, omnes artes, omnia

nia instituta, omnem impuritatem & conscelerationem sathanicam. Vbi autem uidet se uel aliqua in parte hærere non posse, rursus redit ad ingenium, ingentiq; clamore uociferans dilaniat hominem, simul autem excedit. Coactus enim non sponte excedit: uirtute uidelicet Christi superatus. Sed & specimen exhibet suæ uirtutis, si dijs placet, quid uidelicet expectent ab ipso cultores eius, ut discerpantur tandē. Nam quod blanditur, quod hæret tenacius, & amplius hærere cupit, in hoc facit ut tandem te in suam ipsius redigat potestatem atq; excruciet misere. Hodie quoq; cum nullum sibi apud multos restare locum uidet reliquum, tametsi aliquandiu non insuauiter blanditus sit, demum tandem in furorem uersus tartareum, horrendum clamat, & sceleratissimis consilijs ac suggestionibus suis, pertractos in suas partes principes uiros, instigat ad persequutionem grauem sanctorum, qua multi dilaniantur boni uiri. Cæterum gaudeamus in hoc furore sathanico. Simul enim atq; dilaniat nos, excedere cogitur, & se uictum & uinctum præbere Christo. Obstupuerunt ad grande miraculum turbæ attonitæ, ac colligunt Christum amplius quiddam esse quàm hominem: quemadmodū reuera deus erat. Colligunt doctrinā eius esse diuinam. Nam cū authoritate imperat, inquiūt, spiritibus impuris: suopte iussu & propria potentia: nō precibus, non incantationibus, sed propria authoritate, eijcit omnē tyrannidem sathanæ. Emanat rumor tanti miraculi in uicinas Galilææ regiones, ut iam etiam gentiles admirarentur doctrinam & opera domini. Hæc itaq; in hoc facta sunt, ut totus orbis admiretur bonitatem & potentiam dei & saluatoris nostri Iesu Christi, ut admiratione salutari ad ipsum pertrahamur omnes & credamus in ipsum, quod uenerit in mundum dominus & saluator omnium, doctor ueritatis & sanctimoniæ, destructurus regum diaboli, excitaturusq; regnum dei in hoc sæculo, ex quo tandem nos tralaturus sit in regnum patris æternum.

Et protinus è synagoga egressi, uenerunt in domum Simonis & Andreæ, cum Iacobo & Ioanne. Socrus autem Simonis decumbebat febricitans: & continuo dicunt ei de illa. Et cum accessisset, erexit eam, apprænensa manu eius, & reliquit eam febris ilico, ac ministrabat eis.

Publico beneficio in synagoga publice exhibito ei qui uexabatur à dæmonio innotuit pijs dominus: iam domestico quoq; beneficio ijsdem innotescit, & uirtutes suas depromit in hoc, ut proliceat ad fidem omnes homines, omnibusq; declaret quantus sit. Opera uero ac beneficia dei perfectissima sunt, iccirco non tantum febribus hæc liberatur, sed insuper incolumis & uiribus integris discumbentibus ministrat. Tractaui hanc historiam apud Matt. in cap. 8. *Beneficijs publicis & domesticis innotescit dominus.*

Postquam autem aduesperauit, cū occidisset sol, adferebant ad eum omnes male habentes, & qui à dæmonijs agitabātur. Et ciuitas tota erat congregata ad ostium. Et sanauit multos, qui laborabant uarijs morbis: & dæmonia multa eijciebat: nec sinebat loqui dæmonia quod ipsum nossent.

Hactenus specialibus quibusdam beneficijs uirtutem suam declarauit dominus, iam in genere & cumulo quodam beneficiorum demonstrat se fontem esse diuinæ uirtutis, qui non possit exhauriri, sed plenus sit perpetuo & omnibus ad omnia desyderia explenda per omnia sufficiens. Non defatigatur benefaciendo:

non impeditur ulla temporis incommoditate. Veſperi enim cum iam occidiſſet ſol, curat omnis generis morbos. Hæc autẽ magna cũ admiratione omnium fecit dominus: quippe cum ad oſtium domus Petri tota ferè ciuitas Capernaum eſſet collecta, uideretq; ſtupenda miracula, & audiret clamores & teſtimonia ſathanica, quæ tamen dominus ijs ex cauſis reſpuit atq; contẽpſit, quas paulo ante annotauimus. Theophylactus putat ideo multos dixiſſe Marcum non omnes: quod non omnes crediderunt. Illa uero communia quoq; Marcus cum Matthæo habet: quem conſulas licebit in cap. 8. Eraſmus annotauit in nõnullis Græcis exemplaribus legi, Quod noſſent ipſum Chriſtum eſſe. Præterea Græcum ſermonem eſſe ancipitem, Non paſſus eſt eos hoc proloqui quod agnoſcerent Ieſum. Siue, Non paſſus eſt eos omnino loqui, propterea quod agnoſcerent Ieſum eſſe Meſſiam: ne id ante tempus effutirent.

Et mane multa adhuc nocte, cum ſurrexiſſet egreſſus eſt. Et abijt Ieſus in deſertum locum, ibiq; orabat: & proſequuti ſunt eum Simon, & qui cum illo erant. Et cum inueniſſent eum, dicunt ei, omnes te quærunt. Et ait illis, Eamus in proximos uicos, ut & ibi prædicem. In hoc enim egreſſus ſum. Et prædicabat in ſynagogis eorum, in tota Galilæa, & dæmonia eijciebat.

Orat dominus Ieſus.

Theophylactus, Poſtquam ſanauit ægros, inquit, ſeceſſit, docens nos, ne quid ad oſtentationem faciamus: ſed & ſi quid boni fecerimus, ſtudeamus illud occultare. Precatur autem, oſtendens deo offerendum ſi quid boni fecerimus, & dicendum ad illum, quod omne glorioſum & bonum ſuperne ad te deſcendat. Neque enim ipſe oratione indigebat. Hæc ille. Prætulit nobis præterea exemplum, quo docet ſanctos tum quoq; aſſidue orare cum res feliciter habere uidentur. Docet matutinum tempus precibus eſſe aptiſſimum: ac ſuo exemplo illos pudefacit, quibus uolupe eſt in multam lucem ſtertere: nunquam aut rarò ſacros cœtus adire.

Præſtãtia prædicationis euang.

Quanquã uero ſancta & ſalutaris ſit oratio, ſurgit tamen ab ea, & ad prædicandũ ſe confert, ubi intellexiſſet ab apoſtolis plurimos deſyderio teneri prædicationis euangelicę. Inde uero colligimus prædicationis euangelicæ præſtantiam neceſſitatem & utilitatem maximam: quippe quę rebus alioqui ſacratiſſimis antefertur. Quid quod ipſe dominus, In hoc egreſſus ſum, inquit, ut prędicem. Nam cœlitus in terras uenit ut uerbo ueritatis & prædicatione euangelica orbem errorum tenebris inuolutum illuſtraret, & morte ſua indebita à commerita liberaret genus mortalium. Ideo frequentiſſime docuit, nec aliud fecit crebrius libentius diligentiusq;. Hoc ſi paulò diligentius expendiſſent heremitæ & monachi quidã, haud dubie tantum non tribuiſſent ſuo otio & ſolitudini. Chriſtus dominus in heremo orauit & orauit feruentiſſimis ad deum precibus, contemplationibusq; diuinis proculdubio præ cæteris mortalibus omnibus in cœleſtia ſubuectus, patrem glorificauit: ſed breuiſſimo quidem id tempore fecit, reliquum omne quod ſupererat prędicationi impendit euãgelicæ inſtruendisq; rudibus. Proinde unus Athanaſius, unus Auguſtinus, aut alius fidelis uerbi dei præco, multis & innumeris etiam probis anachoretis atq; monachis præferẽdus eſt. Doceamus ergo per omnes eccleſias euangelium Chriſti fideliter. Expelletur ſathan uirtute & prædicatione Chriſti certiſſime ex pectoribus improborum hominum. Obeamus modo ſtrenue ac conſtanter ipſum domini opus. Non deerit nobis qui ſe ſemper nobis affuturum promiſit.

Heremitæ & prædicatores conferuntur.

Et

Et uenit ad eum leprosus orans eum eiq; genua flectens ac dicens illi, Si uis, potes me mundare. Iesus autem intime misertus, protensa manu, tetigit illum: & dicit ei, Volo, mundus esto. Quod cum dixisset, statim reliquit eum lepra, & mundatus est. Et comminatus ei, statim amisit illum, dicitq; ei, Vide ne quid cuiquam dicas: sed abi teipsum ostende sacerdoti, & offer pro emundatione tui quæ præcepit Moses in testimonium illis. At ille egressus cœpit prædicare multa & diuulgare rem, ita ut iam non posset Iesus palàm introire in ciuitatem, sed foris in desertis locis erat, & ueniebant ad eum undiq;.

Alia historia declarat nobis beneficium ac uirtutem Christi domini. Simul autem præscribit qua fide & animi humilitate accedamus ad Christum: ea nimirum qua hic leprosus accessit. Tractaui hanc historiam apud Matthæum in capite octauo, inde require. Prædicat autem leprosus beneficium Christi. Laudatur enim à gratis & pijs hominibus perpetuo domini bonitas. Nec peccauit hic leprosus contra mandatum domini, dicentis, Vide ne quid cuiquam dicas. Nam addendum uidetur, Priusquam te sacerdotibus ostenderis: ne forte sacerdotes audientes te mea uirtute purgatum, per inuidiam de puritate tua insyncerius pronuntient. Ergo ubi res explorata esset per sacerdotes, horumq; accessisset calculus, tum demum deprædicare cœpit Christi uirtute se esse purgatum. Quæ res tantam illi apud omnes opinionem peperit, ut iam præ hominum frequentia affluentiaq; non posset more solito ingredi urbes, sed cogeretur in desertis locis uersari. Vbi tamen non cessabat aut ociabatur, sed concionabatur strenue & benefaciebat indefesse. Nam undiq; ueniebant ad eum. Tali applausu & frequentia excideremus & complecteremur etiam hodie Christum per euãgelij prædicationem ad nos redeuntem: cæterum contempta prædicatione ueritatis ad spectacula inania effundimur, & circulatorum nugas tantum non admiramur. Præterea nullos audis conculcatos & contritos per frequentiam auditorum euangelij: at audis ac legis non paucos perijsse per confertam & sese mutuo conculcantem turbam, ad oscula pedum conspectumq; beatissimi, si dijs placet, patris, ad idoleorum quoq; cõmunionem seu cœtum proruentem. Quę certe conuincunt animos nostros erga ueram religionem non tepidos modo, sed planè frigidos esse.

Laudanda semper dei bonitas

CAP. II.

Et iterum intrauit Capernaum post dies aliquot: & auditũ est quod in domo esset, & protinus cõgregati sunt multi, adeo ut iam nõ essent capiendis, nec illa loca, quę erant circa ianuã, & loquebatur eis sermonem.

Præparatio fit ad sequentem historiam certe insignem, qua declaratur Christum & peccata remittere & grauissimos deploratosq; hominum morbos curare, adeoq; dominum esse omnipotentem, curatorem animarũ & corporum. Congregatur itaq; diuina prouidentia & uirtute Christi ingens populi uis in lacustri & celebri urbe Capernaum: qua præsente & spectante paralyticum curat. Oportebat enim ingens miraculum multorum testimonijs prædicari. Oportebat item beneficium amplissimum in frequentia populi magna misero præstari, quo multorum animi ad fidendum Christo permouerentur. Priusquam tamen miraculum ederet & beneficium conferret misero, loquebatur cœtui seu frequentiæ hominum sermonem, hoc est prædicabat uerbum dei. Verbo mox coniunxit uirtutem, opere ipso probans se id præstare plenissime quod pollicebatur sermone. Docet autẽ suo exemplo prędicatione uerbi dei nihil salubrius utiliusq; habere eccle-

Christus dominus omnipotẽs.

ſiam Chriſti. Confirmatur item fides noſtra in promiſſiones diuinas, qui uidemus palàm opere impleri, q̃d uerbo dei nobis promittitur. Ne ergo dubitemus de uerbi dei certitudine. Eraſmus annotauit tantã fuiſſe hominũ frequentiam, ut iam non caperent ne ea quidem, quæ erant iuxta ianuam loca. Vt intelligas domum adeo fuiſſe refertam, ut ne ueſtibulũ quidem & partes oſtio uicinæ caperent turbam.

Et ueniunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur. Et cum non poſſent illi appropinquare præ turba, detexerunt tectum (ædium) ubi erat, perfoſſo q̃ (tecto) funibus demittunt grabbatũ in quo paralyticus decumbebat. Cum autem Ieſus uidiſſet fidem illorum, ait paralytico, Fili, remittuntur tibi peccata tua.

Fides iuſtificat. Diligenter deſcribitur fides accedentium ad Chriſtũ, ut haberent ſancti exemplum in eccleſia quod imitarentur. Fide enim dei beneficia promiſſiones q̃ accipiuntur. Nam ſequitur protinus effectus fidei maximus. Videns enim Ieſus fidem illorum, dicit paralytico, Fili remittũtur tibi peccata tua. Proinde fide iuſtificantur ſancti, id eſt abſoluũtur à peccatis & pronũciantur iuſti. Sic enim pronunciat euangeliũ. Quid ergo nos damnant pro hæreticis quibus dolet id nos fidei tribuere quod ipſum euangelium tribuit? Cætera pete ex Comment. in 9. ca. Matt.

Erant autem quidam illic de ſcribis ſedentes, & cogitantes in cordibus ſuis, Cur hic ſic loquitur blaſphemias? quis poteſt remittere peccata niſi ſolus deus?

Chriſtus remittit peccata. Murmure occaſionem præbent domino uſum & uim huius beneficij ſiue miraculi explanandi. Non agnoſcunt phariſæi in Chriſto ullam diuinitatem, itaq̃ offenduntur audientes ipſum remittere peccata. Recte enim remiſſionem peccatorum diuinæ duntaxat potentiæ attribuũt. Nos quoniam Chriſtum uerum deum & hominem eſſe credimus, recte ipſum peccata nobis remittere profitemur. Homines quantumuis ſancti & docti peccata non remittunt, ſed remitti uel remiſſa eſſe docent in Chriſto per fidem. De his in Matth.

Et protinus ubi cognouit Ieſus ſpiritu ſuo, quod ſic cogitarent apud ſeſe, dixit illis, Quid iſta cogitatis in cordibus ueſtris? Vtrum eſt facilius, dicere paralytico, Remittãtur tibi peccata: an dicere, Surge, & tolle grabbatum tuum & ambula? Vt autem ſciatis filium hominis habere poteſtatem in terra remittendi peccata, ait paralytico, Tibi dico, Surge, & tolle grabbatum tuũ, & abi domum tuam. Et ſtatim ſurrexit, ſublato q̃ grabbato, egreſſus eſt in conſpectu omnium, adeo ut ſtupeſcerent omnes, & glorificarent deum, dicentes, Nunquam talia uidimus.

Re ipſa & demonſtratione euidentiſſima oſtẽdit dominus ſibi plenam eſſe poteſtatem remittẽdi peccata. De hac copioſiora pete ex Comment. in Matt. Memorabilis ſanè demonſtratio eſt, quæ recte expenſa fidelem quemuis in fide remiſſionis peccatorum ualde confirmat. Beneficium & uirtutem Chriſti id maxime commendat, quod obſtupeſcens populus deum q̃ glorificans, teſtatur talia ſe non uidiſſe unquam. Quæ explicans Paraphraſtes, Cæteri, inquit, quotquot aderant inſolito miraculo ſtupefacti, glorificauerũt deũ, qui talem poteſtatem dediſſet homini, ut ſimplici uerbo & peccata condonaret, & morbum inſanabilem adimeret, ingenue confitentes, inter omnia quę narrarentur à ſanctis ſuperioribus peracta, aut quæ ſuo ſæculo uidiſſent à ſanctis uiris fieri, nihil huic facto ſimile extitiſſe.

Idem

Idem beneficij Christi magnitudinem & præstantiam egregie prædicans, Considerandum est & illud, ait, quanta fuerit largitas Iesu in condonandis peccatis. Cum enim ait, Condonantur tibi peccata, relaxat uniuersa. Nec ulla meritorum præteritorũ mentio, nec ulla sacrificiorum aut satisfactionis exactio, tantũ fiduciæ fit mentio. Satis est ueniſſe ad pedes Iesu. Satis sacrificauit, qui se illi cum plena fiducia ostendit, nullum illi gratius holocaustoma. Totus sibi displicebat ille paralyticus, & male sibi conscius, & miserabili corporis morbo oppressus. Tota spes erat in potenti bonitate Iesu. Ille totum restituit, quia totum Iesu medico commisit. Non reputabat quàm esset immedicabilis morbus, tantum cogitabat, quàm potens, quàm bonus esset medicus cui sese credebat. Et mox, Si te pudet apud medicum hominem, aut si quid diffidis, qui fortasis cognitum morbum exprobraturus sit potius quàm subleuaturus, noli cælare morbum tuum apud Christum, qui neminem traducit, sanat omnes, & sanat gratis, ut tibi quoq; contingat quod contigit paralytico, &c.

Et egressus est rursum ad mare, omnis q; turba ueniebat ad eum, ac docebat eos. Et cum præteriret Iesus, uidit Leui Alphæi filium, sedentem ad telonium, & ait illi, Sequere me. Is q; surgens sequutus est eum. Et euenit cum accumberet in domo illius, multi etiam publicani & peccatores simul discumbebant cum Iesu, & discipulis eius. Erant enim multi qui sequuti fuerant eum. Et scribæ ac pharisæi cum uidissent eum capientem cibum cum publicanis & peccatoribus, dicebant discipulis eius, Quid est quod cum publicanis & peccatoribus edit ac bibit? Hoc audito, Iesus ait illis, Non opus habent qui ualent medico, sed qui male habent. Non ueni ad uocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

Docendi beneficium ac officium rursus repetit, adeoq; & inculcat Marcus, ut testetur ecclesiæ sana doctrina nihil posse utilius & melius obtingere. Cæterum beneficio præstito Matthæo approbat dominus se ueniſſe saluandis peccatoribus, ac posse uelleq; & remittere peccata & integritati plene restituere. In Matthæo exhibetur nobis exemplum quomodo uocati, & credentes dignos pœnitentia fructus edant. Reliqua petantur ex 9. cap. Matth. *Doctrina euangelij.*

Et discipuli Ioannis ac pharisæorum ieiunabant, ueniunt q; & dicunt illi, Quare discipuli Ioannis & pharisæorum ieiunant, tui autem discipuli non ieiunant? Et ait illis Iesus, Num possunt filij thalami nuptialis, dum cum illis sponsus est ieiunare? Quandiu habent secum sponsum, non possunt ieiunare. Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt in illis diebus. Et nemo assumentum panni rudis adsuit uestimento ueteri, alioqui aufert supplementũ eius nouũ à ueteri, & peior sciſſura fit. Et nemo mittit uinum nouũ in utres ueteres, alioqui rumpit uinum nouum utres, & uinum effunditur, & utres pereunt: sed uinũ nouum in utres nouos mittendum est.

Quia dominus edit & bibit cum peccatoribus, & crebro inuitatus ab amicis epulatur, uideri poterat doctrina & religio Christiana luxum quendam fouere: obijciunt ergo discipuli Ioannis & pharisæorum quæstionẽ de ieiunijs, ac domino occasionem præbent, doctrinam sanam de castigatione corporis, & uerum ieiuniorum usum tradendi, contra tetricam pharisæorum doctrinam & hypocriticũ & uanum eorum ie- *Hypocrisis damnatur.*

iunium. Hæc diligentius & copiosius tractata inuenies apud Matth. Illud minutius est quàm annotare conueniat, Filios thalami nuptialis eos significare qui intersunt nuptijs, aut cognati affinesq; quorum sunt nuptiæ. Parabolis omnia uestit, non ut obscuret rem, sed ut ornet atq; illustret.

Et accidit ut transiret sabbatis per segetes, & cœperunt discipuli eius inter eundum uellere spicas, & pharisæi dicebant ei, Ecce cur faciunt sabbatis quod non licet? Et ipse ait illis, Nunquam legistis quid fecerit Dauid cum egeret, & esuriret ipse & qui cum eo erant? quomodo ingressus sit ædem dei sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis comederit, quos non licet edere nisi sacerdotibus, & dederit etiam ijs qui secum erant? Et dicebat illis, Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter sabbatum. Itaq; dominus est filius hominis etiam sabbati.

Quemadmodum erroneam pharisæorum doctrinam circa ieiunia reiecit, ueram tradidit: ita nunc ferias repurgat à pharisaicis superstitionibus, ac uerum docet sabbatum. De quo abunde disputatum arbitror in 12. cap. Matthæi. Abiathar cuius hic fit mentio Achimelechi erat filius. Pater uero, non filius, Dauidi concessit panes propositionis. Itaque antonomasia quadam filij nomen patri tribuitur: quod illius memoria in rebus Dauidicis est celebrior: uel pater fuit binominis. Sed in huiusmodi leuiculis rebus nihil periclitantur uera pietas & religio. Aedem dei appellauit locum in quo fuit tabernaculum uel arca domini. Alioqui nullum erat adhuc Dauidis sæculo extructum templum, quod mortuo Dauide, Solomon filius extruxit.

Abiathar filius Achimelechi pontificis.

CAP. III. Et introiuit iterum in synagogam, & erat ibi homo arefactam habens manum, & obseruabant eum an sabbatis sanaturus esset eum, ut accusarent illum. Et ait homini habenti manum arefactam, Surge in medium. Et dicit illis, Vtrum licet sabbatis benefacere an malefacere, animã seruare an occidere? At illi tacebant. Et cum circumspexisset eos iratus cum ira, cõdolescens super cæcitate cordis eorum, dicit homini, Extende manum tuam. Et extendit: & restituta est manus illius sanitati ut altera.

Sabbatum.

Pertinet hæc historia ad superiorem quoque locum de recto usu feriarum. Præcipitur quidem à deo religiosum ocium, at non prohibetur beneficentia, imò præcipitur & ipsa: ut iam religiose sabbatum custodierit qui beneficium proximo præstitit. Eadem historia describitur à S. Matthæo in cap. 12. In Pharisæis exemplum est pertinacis insciticæ & malitiæ. Vbi enim intelligerent ex uerbis Christi se esse captos in quamcunq; tandem inclinarẽt partem respondendo, obstinate tacent. Si enim respondissent sabbatis non licere præstare beneficium, ipsa rei absurditate erant refutati. Si respondissent licere, sibi ademissent calumniandi occasionem. Propter hanc malitiam ualde excandescens dominus, iratoq; uultu ipsos intuens, ac tacitus illos ueluti increpans, significabat quàm ipsi doleret insanabilis malitia. Debet autem pastoris ira dolore esse temperata, ne quid hic peccetur affectu prauo. Cæterum Animam seruare an occidere, dixit iuxta sanctæ linguæ proprietatem, pro eo quod est, hominem seruare uel occidere. Quisquis autem perire sinit, quem seruare potuit, occidit. Rursus uero ingens beneficium misero conferens dominus, primo declarat quàm sit potens & bene-

& benefícus: deinde benefaciendo omnes ad ſe quodammodo inuítat, ut uenientes ad ipſum uera fide, bona percipiamus æterna. Nam iuſſu Chriſti manum extendit miſer, iam æque inſtructam & ſanam ſicut erat illa, quæ hactenus fuerat integra. Sic omnia obediunt & ſubſunt uerbo Chriſti. Sic omnia poteſt & operatur deus uerbo ſuæ potentiæ.

Egreſſi uero phariſæi, ſtatim unà cum Herodianis conſilium inibant aduerſus eum, ut illum perderent. Ieſus autem cum diſcipulis ſuis receſſit ad mare, & ingens multitudo à Galilæa ſequuta eſt eum, & ab Iudæa & ab Hieroſolymis & ab Idumæa & trans Iordanem, & qui circa Tyrum habitabant ac Sidonem, hominum multitudo magna, qui cum audiſſent quæ faciebat, uenerunt ad eum.

Tenebræ lucem non ferunt.

Tenebræ huius mundi non ferunt claram euangelij lucem, ſed fugiunt & execrantur, imò cum poſſunt perditam uolunt. Videre hoc licet in Phariſæis, qui & celeri gradu ſeſe proripiunt è ſynagoga, & coniungunt ſeſe Herodianis, quos alioqui oderant cane peius & angue. De Herodianis (de quibus & 8. cap. nõnulla adijciemus) uariant ſententię, qui fuerint. Videntur fuiſſe magiſtratus Galilææ ab Herode ordinati, potentes, nobiles, uerſuti, aulici & rebus præfecti moderandis. Huiuſmodi homines ferè odiunt doctrinam euangelicã, quam ſentiunt ſuis aduerſam eſſe moribus, quam denicp ſuſpectam habent quaſi nouationes ſerens, tumultus ſeditionesq; excitet. Libenter ergo operã ſuam impendunt phariſæis, ut cõmuni auxilio & conſilio excindatur ueritas euangelica. Idem hodie quoque fieri uidemus. Multi enim ex principibus, magiſtratibus, & nobilibus conſpirant cum epiſcopis & monachis in excidium ueritatis: in quo pulchre ipſis conuenit, licet internecino aliâs odio inter ſeipſos diſſideant. Theophylactus de Herodianis hæc tradit, Herodiani uel milites erant Herodis, uel hæreſis quædam nuper orta, quæ docebat Herodem eſſe Meſſiam, eo quod in ipſo Iudaicorum regum ſucceſſio finem habuiſſet, idq; iuxta prophetiam Iacob, qui uaticinatus fuerat tunc uenturum Chriſtum, quando deficerent principes ex tribu Iuda. Cum igitur Herodis tempore nullus regnaret princeps ex tribu Iuda, ſed Herodes alienigena regnaret, opinati ſunt quidam hunc eſſe Meſſiam, &c. Plura de his dicemus cap. 8. Marci. Ieſus ſuo nos exemplo docens cedendum nonnunquam impiorum peruicaciæ, ſecedit ad mare ſeu lacum. Hic autem innumera hominum uis confluxit ad ipſum, non ſolum à Galilæa, uerumetiam à Iudæa & finitimis regionibus. Quo declaratum eſt adeò non decedere ueritatis prædicationi per conſilia & inſidias principum impiorum, ut accedat magis. Proinde licet cum epiſcopis conueniant proceres huius ſæculi conſultaturi quomodo excindant ueritatem euangelicam, quanquam fugiant iam & occulant ſe multi uiri boni, nihilominus tamen confertiſſimæ Chriſtum inſequentur turbæ. Veritas enim & uirtus Chriſti, quæ in mundo non eſt obſcura, ſemper plurimos attrahet ſua præſtantia auditores admiratoresq;, rumpantur utilia mundo.

Herodiani.

Et iuſſit Ieſus diſcipulis ſuis, ut nauicula ſibi deſeruiret, propter turbam ne ipſum premerent. Multos enim ſanauerat, ita ut irruerẽt in eum, quo illum tangerent quotquot affligebantur.

Cura corporis iuſta.

Vbicp nos ſuo exemplo docet dominus. In præſentiarum cum commodius & minore cum moleſtia agere poteſt, aſperiorem moleſtioremq; non aſciſcit uiuendi mo-

dum. Iubet ut nauiculam ei adhiberent, uel ut lembus ipsi seruiat, usibusq; eius parata sit: Daß sy jm ein schiffly rustind. Confutatur ergo his quorundam Stoicismus, qui in neglectu corporis quandam constituunt pietatem; contra quos & apostolus Paulus egit in 2. cap. ad Coloss. Paraphrastes, Dominus, inquit, benignus ac diues in omnes, neminem nec à doctrina sua, nec à sanitatis beneficio submouebat. Tantus autem erat ardor multitudinis ob auiditatem sanitatis, ut alius alium protruderet, ac ui irrumperent ad Iesum, ut eum uel contingerent, quando solo etiam uestis contactu pellebantur morbi. Nec ullum erat uel hominũ uel morborum discrimen apud potentem iuxta ac benignum medicum. Quicunq; quibuscunq; malis tenebantur, protinus liberabantur, modo contigisset ipsum adire Iesum. Atque id etiam uidemus hodie iuxta spiritum fieri. Ex totius orbis nationibus quàm multi, quibus uitijs obnoxij confugiunt ad Iesum, & fiduciæ cõtactu sanantur? Denuo ergo depromit hic uires suas dominus, & inuitat nos omnes ad fidendum ipsius bonitati atq; potentiæ. Porrò flagella morbos dicit. Plurimum enim ad sanitatem animarum morbi corporum conducunt, flagellante homines deo, quasi filios patre.

Et spiritus immundi cum illum uidissent, accidebant ei, & clamabant, dicentes, Tu es filius dei. Et uehementer interminabatur eis, ne se manifestum facerent.

Omnia nobis donata sunt in Christo.

In præcedentibus uno uerbo infinita comprehendit beneficia, ut uel inde colligeremus omnia nobis donata esse in Christo, per quem si credimus, saluemur: iam paucis ostendit Christi uirtute fractam esse omnem huius mundi potentiam, etiam sathanicam. Procidunt enim coram ipso immundi spiritus, quo toti mundo fiat manifestum, sathanam per Christum esse uictum. Proinde nihil uirium amplius habet sathanas in fideles. Christus enim communione sui uirtutem suam communicat sanctis. Ac pudendus error illorum hic reuelatur, qui nolunt fateri Iesum Christum esse dei filium. Maligniores enim ipso sunt diabolo, qui hic manifeste confitetur Iesum esse dei filium. Iesus autem non ferens ab impijs prædicari spiritibus, aut ante tempus reuelari, interminatur illis ut taceant. Neque id nouum est. In lege enim prohibet dominus, ne ueritatem exquiramus à mortuis, ne quam fidem tribuamus magicis artibus, nimirum à diabolo profectis, perq; diaboli uim efficacibus, dei permissione.

Et ascendit in montem, ac uocat ad se quos uoluit ipse, & uenerunt ad eum. Et designauit duodecim ut essent secum, & ut emitteret eos ad prædicandum, utq; haberent potestatem sanandi morbos, eijciendiq; dæmonia. Et imposuit Simoni nomen Petrus, & Iacobum filium Zebedæi, & Ioãnem fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est filij tonitrui, & Andræam, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Iacobum Alphæi filium, & Thaddæum, & Simonem Cananiten, & Iudam Iscarioten, qui & prodidit illum.

Designantur doctores orbis

Non uult prædicari à diabolo dominus, indicat ergo nunc à quo cupiat uelitq; prædicari, ab apostolis uirisq; apostolicis. Præterea quia ex his quæ hactenus dicta sunt, patuit Christum esse lucem, uitam, doctorem, & saluatorem, ut omnibus appareat ipsum esse omnium credentium lucem & saluatorẽ, designat in orbem mittendos apostolos, qui apud omnes homines testificẽtur Christũ saluatorẽ esse omni credenti. Ascendit aũt in montẽ designaturus apostolos, et orat, ut doceat nos quoties doctores

ecclesiæ

ecclesiæ ordinandi sunt orare. Sic enim feciſſe et apoſtolos teſtantur Acta apoſt. cap. 1. & 13. Et accerſiuit ad ſe non quoſuis è multitudine, ſed quos ipſe uoluit, quosq; ad hoc munus elegerat, & qui placuerunt. Velle enim in ſcripturis non raro uſurpatur pro placere. Qui autẽ placeant exprimitur 1. Timoth. 3. Proinde nemo eligat eos qui Chriſto diſplicent. Venientes autem ad eum præferunt nobis exemplum obedientiæ. Nemo quidem ſua ſponte & inuocatus currat, ſed qui legitime fuerit uocatus, obtemperet uocationi dei, ne ipſi uſuueniat quod Ionæ rebelli. Duodecim deſignat apoſtolos, quia per numerum duodenarium non ſemel in lege & prophetis apoſtoli ſunt præfigurati. Sed & in certum finem deſignat. Principio ut eſſent ſecum: id eſt, ut eſſent teſtes dictorum & factorum Chriſti. Deinde ut abunde inſtructi magiſterio Chriſti & ſpiritus ſancti, exirent in orbem terræ, ac prædicantes euangelium, credentes conuertant ad Chriſtum. Poſtremo ut beneficijs Chriſti nomine exhibitis, teſtificarentur efficacem eſſe prædicationẽ euangelij & omnia poſſe Chriſtum, ad quem homines adducunt. Porrò apoſtolorum nomina propter falſos apoſtolos recenſentur, ut ſint noti ueri. Filij duo Zebedæi, Iacobus & Ioannes cognominantur Boanerges, nimirum בני רגש filij fremitus atque tumultus: quam appellationem indepti ſunt à donorum Chriſti præſtantia. Tonitrua & fulgura iſti ſunt loquuti, concuſſerunt totum orbem, multo potentiores & uiuidiores in dicendo & agendo multis Periclibus & Tullijs. Theophylactus, Filios, inquit, tonitrui nominat filios Zebedæi, ut præcipuos prædicatores, & maxime theologos. Idem: Aſſumitur & Iudas, ait, in apoſtolum, ut diſcamus quod non propter futuram malitiam alicuius, aſpernetur deus quempiam mala operaturum, ſed propter præſentem uirtutem honore quem dignum cenſet, etiamſi poſtea malus ſit futurus. Per hos duodecim, ait Paraph. paucos, obſcuros, illiteratos, imbecilles, uiſum eſt domino totum innouare mundũ, ne quam laudis partem in cœleſti negotio ſibi uindicaret humana uel ſapientia uel potentia.

Filij tonitrui.

Cumq; ueniſſent in ædes, conuenit iterum turba tanta, ut non liceret illis uel panes edere. Quod cum audiſſent qui ad illum attinebãt, exierũt ut præhenderent eum. Dicebant enim, Mente alienatus eſt.

Exemplo ſuo docet dominus quantam oporteat in docendo adhibere diligentiam. A cibo ad prædicandum properat, ſicut & Ioan. cap. 4. cibi prorſus obliuiſcitur, teſtificans ſe habere cibum quem non uideant diſcipuli. Sequentium uero duplex affertur ſententia ab interpretibus. Prior, Cum cognati domini audirent quæ doceret, & uiderent quæ in diem faciebat miracula, non intelligentes illa diuinæ in ipſo eſſe naturæ, furori cuidam tribuebãt. Et cum cognati eſſent, putabant ſui eſſe officij mentis impotem, & à ſpiritu quopiam arreptum, uinculis coẽrcere. Aderant itaque manus inſanienti auxiliatrices illaturi. Atq; iuxta hunc ſenſum facile colligeret quilibet, quid de ſapientia cœleſti iudicet craſſa hominis caro. Pro inſanis habet, quicũq; cum mundo inſaniente non ineptiunt. Sapientes putat, qui coram deo ſtulti ſunt, ſtultos qui ſapientes ſunt. Poſterior, Dominus labore confectus domum redijt, ut hic nonnihil reſpiraret, ac cibum capiens, nouis ſeſe repararet laboribus. Verum populi cupientis audire uerbum dei importunitas, id non permiſit. Dominus enim ubi illorũ animad uerteret ingens deſiderium, neglecto cibo & poſthabita menſa, ad docendum ſe contulit. Hic diſcipuli domini & qui eius partes ſequebantur, inferebant domino manus & retrahebant à labore, uulgo tumultuanti reſpondentes, laboribus fractus nimijs mente alienari poterat. Iuxta eam ſententiã locus Marci ſic legi poterat, Qui ad eum attinebant, uel qui circa eum fuerunt ut audirent, exierunt uiq; eum abduxerunt, dicentes, Extra ſe uenit (fatigatus ſcilicet labore nimio) ſiue in ſyncopim poterat cadere.

Diligenter docenda pietas.

Curandum & corpus, ſeruandumq; laborib.

Ita uero doceret locus modum adhibendum esse & in laboribus, ne quid nimis, ac natu-
ræ quoq; suum illud esse persoluendum, ut qui dona dei accepit, & prodesse potest
ecclesiæ, diu prosit, nec ante tempus sese conficiens dona dei perdat.

Et scribæ qui ab Hierosolymis descenderant dicebant, Beelzebul ha-
bet, & per principē dæmoniorū eijcit dæmonia. Et ad se uocatis eis, per
parabolas loquebatur illis, Quomodo potest satanas satanam eijcere? Et
si regnum aduersus sese diuisum fuerit, non potest stare regnum illud. Et
si domus contra semetipsam diuisa fuerit, non potest stare domus illa. Et
si satanas surrexit aduersus semetipsum ac diuisus est, nō potest stare, sed
finem habet. Non potest quisquā uasa fortis, ingressus in domum illius,
diripere, nisi prius fortem uinxerit, & tum demum domum eius diripiet.
Amen dico uobis, Omnia remittētur filijs hominum peccata & blasphe-
miæ, quibus blasphemauerint: at qui blasphemiam dixerit in spiritū san-
ctum, non habet remissionem in æternum, sed obnoxius est æterno iudi
cio. Dicebant enim, Spiritum immundum habet.

Regnum dei ue nisse, & Chri-stum omnia sua agere potentia diuina.

Pharisæi graues ueritatis hostes omnia domini dicta & facta calūniabantur, omni-
busq; modis contendebant regnum dei nondū uenisse, alium Messiam esse expectan
dum. Cumq; populus ex signis miraculisq; colligeret uenisse regnū dei, pharisæi cla-
mabant illa uirtute diabolica fieri. Dominus ergo obiectionem illam maledicam & ca
lumnioſam quasi fumum ipsis in oculos impellens, & contrarium probans, Si in uir-
tute diaboli, inquit, diabolum eijcio, quid aliud sequitur, quàm quod diabolus contra
semetipsum bella gerat, atq; ideo regnum eius interciderit, aduenerit q; regnum dei?
Nam inductione quadam ostēdit interire regnū, quod intestino secum bello dissidet.
Verū pluribus illa tractaui in Matth. cap. 12. In præsenti ex opposito infert, Nunc au-
tem non eijcio sathanā uirtute sathanæ, sed uirtute diuina adeoq; propria. Non enim
potest quisquam uasa fortis, &c. Postea ostendit quàm graue sit peccatum blasphe-
mare doctrinam ueritatis, illamq; nolle admittere, ac ueluti hæreticam damnare. Ac
reuera pertinent illa omnia ad negotium uerbi dei. Solent enim multi successum uer-
bi domini diabolo, et miracula magiæ tribuere. At dominus demōstrat illa esse ex deo.

Et ueniunt mater eius & fratres, & foris stantes, miserunt ad eum qui
euocarent eum: & sedebat turba circa eum, dicuntq; ei, Ecce mater tua &
fratres tui foris quærunt te. Et respondit eis, dicens, Quæ est mater mea
& fratres mei? Et cum circumspexisset in circuitu circum se discipulos se-
dentes, ait, Ecce mater mea & fratres mei. Qui enim fecerit uoluntatē dei,
hic frater meus & soror mea & mater est.

Renunciandum affectibus.

Pertinet & hæc historia ad negotium uerbi dei. Nam suo exemplo docet dominus
concionatores omnibus renunciare affectibus carnalibus, & unicū modo deum spe-
ctare in functione prædicandi. Ostenditur & effectus uerbi dei saluberrimus, quod
credentes siue obedientes efficiat filios dei, fratres & cohæredes Christi. Cætera pete
ex 12. cap. Matth.

CAP. IIII. Et iterum cœpit docere iuxta mare, & congregata est ad eum turba
multa, ita ut nauim ingressus, sederet in mari, & tota turba iuxta mare in
terra erat, & docebat eos per parabolas multa.

Docebat iterum qui non inueniebat quod maiore cum dei gloria & hominum uti-
litate

litate poterat facere. Ac amat dominus ecclesiam sermonis euangelici doctrinæq; pietatis auidam. Ideoq; ob frequentiam turbæ sese comprimentis conscendit scapham, unde uelut è suggesto doceret turbam in littore condensatam.

Dicebatq; illis in doctrina sua, Audite, Ecce exĩt seminator ad seminandum, & accidit inter seminandũ, ut aliud quidem caderet iuxta uiam, ueneruntq; uolucres cœli, & comederunt illud: aliud uero cecidit super petrosa, ubi non habuit terram multam, et statim exortum est, quod non haberet altitudinem terræ, sole autem exorto ustum est, & eo quod non haberet radicem, exaruit: & aliud cecidit in spinas, et succreuerunt spinæ, ac suffocauerunt illud, & fructum non dedit. Et aliud cecidit in terrã bonam, & dabat fructum succrescentem & augescentem: & adferebat aliud triginta, & aliud sexaginta, & aliud centum: ac dicebat illis, Qui habet aures ad audiendum, audiat.

Dixit in fine cap. 3. de effectu uerbi dei, de fratribus Christi & filijs dei, consequenter ergo pulcherrimo ordine subiungit doctrinam de semine dei, & modo ac ratione generandi. Id quidẽ pura & nuda primum parabola proponit, deinde eandẽ exponit.

Cum uero esset solus interrrogauerũt eum hi qui circum illum erant cum duodecim de parabola: & dicebat illis, Vobis datum est nosse mysterium regni dei, illis autem qui foris sunt per parabolas omnia fiunt, ut uidentes uideant & non cernant, & audientes audiant & nõ intelligant, ne quando conuertantur & remittantur eis peccata. Et ait illis, Nescitis parabolam hanc, & quomodo omnes parabolas intelligetis?

Interfatione hac occasionem præbent domino explicandi parabolã, & differendi interim qui sint capaces uerbi dei. Increpat autem suorum tarditatem dominus, qui apertam & ualde simplicem parabolã non intelligunt. Interim subindicat alias quam plurimas plus habere difficultatis. Hæc autem excitant fideles ad attentionem diligentiam atq; assiduas preces quibus tandem impetremus sensum exercitatũ & peritum in mysterijs domini.

Seminator ille sermonẽ seminat. Hi uero sunt qui iuxta uiã (dicũtur) ubi seminatur sermo, & cum audierint, cõfestim uenit sathanas, & aufert sermonem qui seminatus est in cordibus eorum. Et hi sunt similiter qui in petrosa semen excipiunt, qui cum audierint sermonẽ, statim cum gaudio accipiunt illum, & radicem non habent in se, sed temporarij sunt, deinde coorta afflictione, aut persequutione propter sermonem, confestim offenduntur. Et hi sunt qui in spinas semen excipiunt, hi (inquam) sunt qui sermonem audiunt, & solicitudines sæculi huius, ac deceptio diuitiarum, cæterarumq; rerum cupiditates introeuntes, suffocant sermonem, ac redditur infructifer. Et hi sunt qui in terram bonã semen exceperunt, qui audiunt sermonem & suscipiunt, & fructũ afferunt, (ita ut) aliud (granum afferat) triginta, aliud sexaginta, aliud centum.

Hæc est elegans & perspicua parabolæ expositio. Cuius enarrationem posui in 13. cap. Matthæi.

Et dicebat illis, Nunquid lucerna incenditur, ut subter modium ponatur, aut subter lectum? Nónne ut super candelabrum ponatur? Non est enim quicquam occultum, quod non palàm futurum sit, neq; factum est secretum, sed ut in propatulũ ueniat. Si quis habet aures ad audiendum, audiat.

Omnibus datũ uerbum dei ad illuminationẽ.

Pertinent & hæ duæ parabolæ ad negotium uerbi dei. Priore ostendit uerbum dei non paucis esse datum, sed omnibus, unde illud nõ oporteat Iudæis tantum prædicari, sed omnibus gentibus. Proinde, lucerna est uerbum dei: quod & Dauid testatus est Psal. 119. Lucernæ autem confertur has ferè ob causas. Principio ob puritatem cœlestem. Deinde ob illuminationem & effectum. Postremo ob elegantiam & serenitatem conscientiarum. Porrò Candelabrum ipsa est diuini uerbi propagatio uel prædicatio. Annunciatur enim euangelium in domo dei & regno Christi, ecclesia, ut omnes uideant quid agant. Atq; huius quidem rei typum olim gessit aureum illud in tabernaculo candelabrum. Posteriore docet nolle se quicquam uerbi & doctrinæ suæ occultari & latere. Nam suo tempore uult proferri omnia. Vnde Paraphrastes, Nunc quidem multa cælamus multitudinem, inquit, quoniam nondũ est capax: & si esset, nondum aduenit tempus: uerũ ubi tempus aduenerit, nihil est inter uos tam absconsum, quod tum non sit patefaciendum, neq; quicquam tam arcanum, quod non sit palàm omnibus prædicandum. Non enim oportebit ullis rebus ab euangelij propagatione deterreri, sed omnibus posthabitis, hoc unum erit noctes ac dies agendum. Postremo auditores excitat omnes ad attentionem & diligentiam epiphonemate quodã, dicens, Cum autem tanta sit dei fides & diligentia in tradenda philosophia cœlesti, quantam oportet esse diligentiam sedulitatemúe uestram, ut quod uobis traditum est fideliter, rursum fide optima propagetis quàm latissime.

Non uult uerbum suum latere dominus.

Et dicebat illis, Videte quid audiatis. Qua mensura metimini, eadem mensura dabitur uobis. Et adijcietur uobis qui auditis. Qui enim habet, dabitur illi, & ab eo qui non habet, etiam quod habet auferetur.

Adhortatio ad audiendum uerbum dei.

Subijcit dominus breuem, sed euidentissimam adhortationem ad studium uirtutis ne frustra audiamus uerbum Christi, neúe dispensent uerbũ dei maligne, qui ad functionem prædicandi sunt uocati. Videte, inquit, quid audiatis, & ne frustra audieritis. Neq; satis fuerit audisse, nisi & uitam componamus ad ea quæ audiuimus, alijsq; tradamus diligenter quæ ut traderemus accepimus. Adducit sententiam generalem, à commodo & incommodo urgens. Si, inquit, nunc audieritis me uobis consulentem, audiam & uos inuocantes nomen meum: non audiam autem uocantes si meam neglexeritis doctrinam. De eo plura legis Prouerb. 1. cap. Et 28. cap. Qui declinat aures suas ne audiat legem, eius oratio erit execrabilis. Rursus, Si parci, inquit, uerbi mei dispensatores fueritis, parcus ero in donis dispensandis. Sin largiter effuderitis quod credidi uobis, munificus ero in conferendis donis amplissimis. His addit aliam sententiam & ipsam amplissima dona strenuis dei seruis pollicentem, Et adijcietur uobis qui auditis. Eam rursus alia illustrat, Qui enim habet dabitur illi, & ab eo, &c. De ea sententia dixi apud Matth. in 13. cap. Paraphrastes, Qui habet, inquit, nec habet sibi tantum, sed alijs impartit quod habet, ei tanquam bonæ fidei dispensatori adijcietur ut abundet. Qui uero non habet (non habet autem qui thesaurum defossum apud se seruat) non solum non erit ditior, uerum etiam hoc ipsum, quod uni sibi uidebatur habere, tolletur ab eo, &c.

Et dicebat, Sic est regnum dei, quemadmodum si homo sementem iaciat in

ciat in terrã ac dormiat, atq; exurgat nocte ac die, segesq; germinet, ac surgat in altum, ipso inscio. Vltro enim terra fructum gignit, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Cum autẽ productus fuerit fructus, statim immittit falcem, quoniam adest messis.

Quomodo fructificet uerbum dei in homine pio.

Ex quatuor illis seminum generibus, quorum iam meminit in seminatoris parabola, repetit aut resumit quartum illud bonum & fructificans, ac pręsenti parabola ostendit, quomodo fructificet semẽ uerbi dei, cuius item ui atq; uirtute fructificet, & quod præmium uirtuti sit paratum. Non protinus, inquit, simul atq; seminatum est semen, enascitur et in segetẽ assurgit: sed interualla habet et auctibus siue incrementis quibusdam assurgit. Sic fructificat etiam uerbum dei iactum atq; susceptum in cordibus fidelium. Grandescit enim auctibus quibusdam uirtus. Nam ut nemo protinus perfectus nascitur artifex, ita nemo euestigio in omnibus uirtutibus perfectissimus est. Deinde crescit & fructificat semen absq; opera agricolæ, solius dei uirtute dantis incrementũ. Exurgit enim seges inscio agricola, ipso interim noctu dieq; dormiente & exurgente aliudq; agente. Ita apostolus, Non est aliquid, ait, qui rigat, aut qui plantat, sed qui incrementum dat deus. Sed & uirtuti & bonis fructibus suum paratum esse præmium, inde claret, quod messis quoq; instat, & uenit tandem, in qua colliguntur fructus. Messis enim iudicium est. In iudicio colliguntur fideles in æterna tabernacula: paleæ traduntur exurendæ igni inextinguibili. Pertinet & aliò illa parabola. Iubet enim dominus ministros creditum semen agro committere dominico, successum cõmittere deo. Iudicaturum hunc certò orbem, ubi ipsi fuerit uisum. Nostrum enim non est solicitos esse quid euenturum sit, et quando: nostrum est credere deo, ipsius obedire mandatis, & omnem illi euentum committere.

Et dicebat, Cui assimilabimus regnum dei? aut qua collatione conferemus illud? Est sicut granum sinapis, quod cum seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus quæ sunt in terra: & cum seminatũ fuerit, exurgit, & euadit maius omnibus oleribus, & ꝓfert ramos magnos, ita ut possint sub umbra eius aues cœli nidificare.

Vis ingens uerbi dei.

Enarraui hanc parabolam apud Matthæũ in cap. 13. Theophylactus, Paruus quidem, ait, sermo fidei. Nam si credideris in Christum, saluaberis. Vide qualis sermo: tale est & granum sinapis. Nam prædicatio missa super terram, dilatata est & creuit, ita ut uolatilia cœli, id est omnes sublimes scientia & sensu in ipsa habitent. Quot enim sapientes relicta sapientia gentilium, in prædicatione requieuerunt? Maxima igitur fuit prædicatio & magnos ramos fecit. Vnus enim apostolorũ ad Indiã, alius ad Romam, & alius in aliam partem terræ diuisi sunt ut rami.

Et talibus multis parabolis loquebatur eis sermonem, prout poterãt audire. Sine parabola autem non loquebatur eis. Seorsim autem discipulis suis exponebat omnia.

Paraphrastes hæc S. Marci uerba sic explanauit, His atque alijs id genus multis parabolis dominus Iesus rudi crassoq; populo proponebat imaginem futuri successus euangelici, sermonem suum ad illorum captum attemperans: nihil autem illis tum loquebatur, nisi per inuolucra parabolarum, quod nondum essent nudi sermonis capaces. Etenim si dixisset se breui à Iudæis occidendum, sed mox reuicturum, gloriamq; suam per uniuersum orbem sparsurum, sic ut qui tum omnium infimus uidebatur, intelligeretur totius mundi princeps: ut nulli mortalium quantumuis sublimi quies

aut tutum esset receptaculum futurum, nisi sub ipsius ramos confugeret, nemo sermonem neq; tulisset neq; credidisset. Et tamen expediebat hæc ueluti per somnium meminisse, ut post ex ipsa re agnoscerent, quid sibi uoluissent parabolæ. A postolis autem secreto colloquio declarabat quis esset arcanus sensus parabolarum omniũ quas dixerat.

Et ait illis in die illo cum adueſperauisset, Transeamus in ulteriorem ripam. Et dimissa turba assumunt eum ita ut erat in naui: sed & aliæ naiculæ erant cum illo. Et oritur procella uenti magna, & fluctus irruebant in nauim, ita ut illa iam impelleretur. Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens, & excitant eum, dicuntq; ei, Præceptor, nõ est tibi curæ quod perimus? Et excitatus increpauit uentum, dixitq; mari, Sile, obmutesce. Et conquieuit uentus, factaq; est tranquillitas magna. Et dixit illis, Quid timidi estis adeò? Quî fit ut non habeatis fiduciam? Et affecti sunt timore magno, dicebantq; inter sese, Quisnam hic est, quod uentus & mare obediunt ei?

Imago tempestatis magnæ.

Habet seges sua uitia & morbos suos, subiecta est tempestatibus atq; periculis. Sequitur ergo imago quædam tempestatis maximæ: indicatur quid agant qui in turbis & tempestatibus huius sæculi uersantur, iubentur supplices Christo accidere. Solus enim is est qui tempestates ecclesiæ obortas placide tranquillat. Erasmus in suis Annotationibus, Quod tum exhibuit Iesus, inquit, id hodie in nobis agitur. Quàm periculose indormiunt hodie puluillis ac ceruicalibus huiusmodi præsules & pontifices quidam horum temporum? Periclitatur uniuersus populus, nec est qui Christum excitet in illis profundissime dormientem. Imò nolunt excitari, & habent qui somnum hunc pestilentissimum foueant, occinentes ad aurem blando susurro, euge euge. Expergiscere tandem optime Iesu, ne pereamus. Ea copiosius exequitur in Paraphrasi. Et nos plura in hanc historiam dedimus apud Matth. in cap. 8. Interim maxima nobis commendatur atq; prædicatur Christi gloria atq; potentia. Compescit hic uerbo omnium seuissima elementa, aquam & uentos furentes. Dominus ergo est cœli & terræ omnipotens, cui qui fidunt nunquam confundentur.

Com-

COMMENTARIORVM IN EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM LIBER SECVNDVS.

PRAECEDENTE *libro multa de* Verbo *dei disputata sunt.* At *huius unicus & certissimus scopus est* Iesus *saluator mundi, & fides in ipsum.* Ergo *ut illustrius esset nomen* Christi *saluatoris, & fides in ipsum commendatior omnibus sanctis, tres nobiles historias subiungit in cap* 5. Marcus, *quibus & potentiam atq; uirtutem* Christi *illustrat, & fidem in* Christum *docet. Postea redit iterum ad uerbum dei & prædicationem uerbi. Inducit enim dominum in patria sua docentem, qui & populi sui ingratitudinem acriter incusat. His pulchre subnectit ablegationem discipulorum ad munus prædicandi, atq; præcepta quibus abeuntes instruxit. Iam & obedientiam diligentiamq; discipulorum attingit. Mox connectit illustrem S.* Ioannis baptistæ *historiam, in qua proponitur egregium exemplum boni & cordati concionatoris, & quis fuerit eius exitus. Rursus ad consolationem ministrorum suorum, & ad instructionem omnium fidelium, pascit turbas in deserto dominus, liberatq; in lacu periclitantes. Ita enim testificatur dominus se esse cibum fidelium, se esse pastorem summum, se dare pastores, se liberare inuocantes ipsum ex omnibus periculis, inq; tranquillum deducere portum. Et hæc quidem hactenus de* Doctrina *ueritatis: subiungitur illis à* Marco *de traditionibus humanis tractatus. Eas cauere & fugere docet dominus. Relictis tamen mox doctoribus humanarum traditionum, conuertitur ad populum, & huic exponit quæ sit uera animi puritas, quis scopus doctrinæ pietatis, ut purgetur mens hominis. Postremo docetur exemplo Syrophœnissæ uera in* Christum *fides, docetur quanta sit domini uirtus atq; bonitas.*

ET uenerũt traiecto mari in regionem Gadarenorum, egressoq; ei de naui, statim occurrit è monumentis homo spiritui immundo obnoxius, qui domicilium habebat in monumentis. Et ne catenis quidem quisquam poterat eum ligare, propterea quod cum sæpe compedibus & catenis uinctus fuisset, discerptæ essent ab illo catenæ, & compedes essent comminutæ, neq; quisquam ualuisset illum domare. Et semper die ac nocte in montibus, & in monumentis erat clamans & concidens seipsum lapidibus. CAP. V.

Quod Ioannes apostolus ostendit per conciones domini sacras, id reliqui tres per mirifica efficacissimaq; opera Christi demonstrant, Christum esse dominũ rerum omnium, cui subiecta sunt mũdus, diabolus, peccatum, morbi, calamitates, uita & mors: & quod dominium illud omnibus euangelio obsequentibus conceditur à liberatore Christo per fidem. Prima hæc historia docet Christum esse uictorem sathanæ: cuius uires atq; sæuitia multis declaratur, in hoc ut uincentis ipsum robur & potestas fiat illustrior. Consideret interim quilibet quàm fœda sit seruitus seruire principi, imò tyranno diabolo, qui subditos sibi infandis diuexat modis. Reliqua petantur ex 8. cap. Matth. *Opera Christi.*

Cum uidisset autem Iesum eminus, cucurrit, & adorauit eum, & clamans uoce magna, dixit, Quid mihi rei tecũ est Iesu fili dei altissimi? Adiuro te per deum ne me torqueas. Dicebat enim illi, Exi spiritus immunde ex homine. Et interrogabat eum, Quod est tibi nomen? Et respondit, dicens, Legio mihi nomen est, quia multi sumus. Et precabatur eum multis, ne ipsos emitteret extra regionem. Erat autem ibi iuxta montes grex porcorum magnus, qui pascebantur: & precabantur eum omnes dæmones, dicentes, Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus. Et permisit eis

ſtatim Ieſus. Et egreſſi ſpiritus immundi, ingreſſi ſunt in porcos. Et ferebatur grex per præceps in mare. Erant autem eorum fermè duo millia, & ſuffocati ſunt in mari.

Virtus Chriſti, & malitia ſathanæ.

Hîc maxime eluceſcit uirtus Chriſti, quæ tam facile profligat legionem, quàm unicum. Declaratur & ſathanæ malitia. Paraphraſtes enim, Tanta, inquit, erat dæmonis malitia ut grauiſſimus eſſet ipſi cruciatus, ſi iam non liceret cruciare miſerum hominem. Sentiebat autem Ieſu uocem efficacem & omnipotentem, cui uolens nolens parere cogeretur. Iam mihi confer an non ſimilis affectus ſit in hominib. qui iam ad extremum malitiæ deuenerunt: quibus uoluptati eſt alijs uel ſuo etiam malo malefacere: & ſi coërceantur à licentia facinorum, uehementer animo diſcrutientur. Maxima quoq; ſathanæ temeritas audaciaq; obſeruanda uenit. Audet impurus filium dei adiurare per deum. Audet idem per impura impiorum, hæreticorum, & magorum ora ſacerrima proloqui uerba: audet obteſtari magna cum authoritate. Sed pij floccifaciunt: ſicuti & omnium ſanctorum caput Chriſtus, obteſtantẽ auerſatur & expellit. Ne itaq; terreant nos adiurationes magorum: ne decipiant nos obteſtationes hæreticorũ. Huiuſmodi artibus conatur ſathan regnum ſemel occupatum retinere. Nobis cõtra perſeuerandum eſt in ſpe & fide firma domini noſtri Ieſu, nec ceſſandum ab oppugnatione donec expellamus ſathanam. Extra regionem mittere uidetur diabolus pro eo accepiſſe, quod eſt è regione hac aëris in tartarum & caliginem ſempiternã dare præcipitem. Aut certe cupiebat dux impuræ legionis per agros regionis Gadarenæ impie & libere uagando latrocinari & diuexare homines: ſicuti hucuſq; fecerat opera hac in re utens dæmoniaci. Nemo autẽ cogitans diabolos ſpiritus eſſe, mirabitur quomodo in uno homine legio hærere potuerit diabolorũ. Et quamuis ſpiritus ſint, loco tamen certo non carent. Nã ubiq; non ſunt. Id quod ex eo poteſt colligi, quod precantur ne eijciantur ex illa regione. Verũ de illis, de quibus ſcriptura non differit operoſe, ſubtilius diſputare, & omnes cauſas, modum & formas indagare uelle, hominis curioſi magis quàm pij eſt.

Porrò qui paſcebant porcos fugerunt, & renunciauerũt in ciuitatem & in agros. Et egreſſi ſunt ad uidendum quod acciderat, uenerunt; ad Ieſum, & uident illum qui à dæmonio uexatus fuerat ſedentem ac ueſtitum, & ſanæ mentis eum qui habuerat legionem, & extimuerunt. Et narrauerunt illis qui uiderant qualia eueniſſent ei qui dæmonium habuerat, & de porcis. Et rogare cœperunt eum, ut diſcederet de finibus ipſorum.

Hæc amplificant miraculum, & commendant hiſtoriæ ueritatem. Primo quidem ipſi porcorum paſtores rem geſtam in ciuitate & uiculis agri diuulgant. Ad ipſorum nuncium effunditur ad Chriſtum ingens populi turba. Deinde qui ſpectaculo adfuerant necdum receſſerant à domino, rurſus ab initio narrabant illis qui procurrerunt, omnem rei geſtæ hiſtoriã, de legione eiecta, de porcis demerſis in lacũ. Plura require ex 8. cap. Matth.

Cumq; ingreſſus eſſet nauim, rogabat illum is qui à dæmonio fuerat uexatus, ut eſſet cum illo. Ieſus autem non permiſit ei, ſed ait illi, Abi domum tuam ad tuos, & annuncia illis quanta tibi dominus fecerit, & miſertus ſit tui. Et abijt, & prædicare cœpit in Decapoli, quanta ſibi feciſſet Ieſus, & omnes mirabantur.

Gratitudo & laus dei.

Diſcedit dominus ab ingratis & craſſis hominibus, qui pluris faciebant porcos, & cœleſtes

cœleſtes theſauros. Interea non offenditur multorum ingratitudine qui ſanitatis beneficium acceperat à domino. Videns enim ſuæ ſanitatis authorem abire, rogat ut liceat ipſi in illius eſſe comitatu. Sic uero typum prætulit pijs, docens quomodo ſe gerant qui acceperunt beneficia dei. Dominus autem maluit illum habere præconem quàm comitem: quod id magis expediret multorum ſaluti. Abi, inquit, in domum tuam, & ad cognatos & amicos tuos, qui norunt qualis hactenus fueris, & annuncia, id eſt, prędica, celebra laudibus beneficium & miſericordiam tibi præſtitam à domino. Quilibet autem noſtrum hoc ipſum ſibi dictum putet quod homini huic iniungitur. Miſericordia ſua ſaluauit nos, & in diem beneficia ingentia confert nobis munificus dominus. Pro his nunquam ceſſemus agere gratias, laudemus ſemper miſericordiam dei, hortemur & alios ad fiduciam ueram, ut & ipſi ad fontem omnium gratiarum accedentes ſaturentur omni bono. In hunc finem aũt ſubiungitur & obedientia fidelis liberati huius hominis. Abijt enim homo ille iuſſis obtemperans Ieſu, ac per Decapolim (de qua dictum eſt Matthæi quarto) prædicauit Ieſu potentiam ac beneficentiam. Ac narratio eius fidem apud illos facile inuenit, quod antea pleriſq; eius regionis hominibus notus fuiſſet, & nunc cernerent ipſum integra uti ſanitate. Sapientiſſime ergo egit dominus qui noluit illum in ſuum aſciſcere commitatum, in quo ſuſpectum multis fuiſſet illius teſtimoniũ. Obediamus ergo & nos benefico ſeruatori, & laudemus ipſum, quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius.

Et cum traieciſſet Ieſus naui rurſus in ulteriorem ripam, conuenit ad eum turba multa, & erat circa mare. Et ecce uenit quidam principum ſynagogæ, nomine Iairus, & cum uidiſſet eũ procidit ad pedes eius, & precabatur eum multum, dicẽs, Filiola mea in extremis eſt (oro) ut uenias & imponas illi manus, ut ſalutem cõſequatur & uiuat. Et abijt cum illo, & ſequebatur eum turba multa comprimebantq; eum.

Præmittitur occaſio tertij beneficij ſiue miraculi. In Iairo ſuppeditatur nobis exemplum fidei ſuadentis accedere Chriſtum in omnibus noſtris neceſſitatibus. Præſtruitur ad ſecundum miraculum & beneficium acceſſus commemoratione irruentis turbæ & comprimentis dominum. In hac enim frequentia & anguſtia enititur ad contactum ſaluatoris mulier quæ profluuio ſanguinis laborabat, cæterum mox ea à fluxu ſanguinis liberatur. Interim egregie dixit ille, beneficentiam homines allicere ut ſolet magnes attrahere ferrũ. Delectatur dominus hominum frequentia. Benefacit omnibus: nec exhauritur interim perennis ille gratiæ & uirtutum fons. Accurramus ergo & nos, ut inde ſatiemur.

Luc. 1. v. 17. 1 Pet. 5. 10. Joh. 3. v. 27. Col 2. 9. Joh 1. 16 Col 2 10.

Et mulier quædam quæ laborauerat profluuio ſanguinis annos duodecim, fueratq; multa perpeſſa à compluribus medicis, & inſumpſerat omnes facultates ſuas, neq; quicquam adiumenti ſenſerat, ſed plus detrimenti acceperat, cum audiſſet de Ieſu, uenit in turba à tergo, & tetigit ueſtimentum eius. Dicebat enim, Si uel ueſtimenta eius tetigero, ſalua ero. Et confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis eius, & ſenſit corpore quod ſanata eſſet à flagello. Et ſtatim Ieſus in ſemetipſo cognoſcens uirtutem ex ſeſe prodijſſe, conuerſus in turba, aiebat, Quis tetigit ueſtimenta mea? Et dicebant ei diſcipuli ipſius, Vides turbam undiq; prementem te, &

dicis, Quis me tetigit? Et circũſpiciebat ut uideret eam quæ hoc fecerat. Mulier uero timens & tremens, ſciens quid in ſe accidiſſet, uenit & accidit ei, dixitq; ei omnem ueritatem. Ille autem dixit ei, Filia fides tua te ſeruauit: uade cum pace & eſto ſana à flagello tuo.

Chriſti maximauis.

Docet nobilis & lepida hæc hiſtoria, Chriſtum eſſe omnium infirmitatũ morborumq; dominum atq; potentem, qui ſua uirtute ſanet omnes & corporum & mentium morbos. Ergo quod circumſtantiæ tam diligenter deſcribuntur, quod per integros annos 12. morbo ſit afflicta, quod à medicis multa ſit perpeſſa, quod omnes facultates nequicquã erogarit medicis, quod deterius etiam habuerit poſt medicinam ſumptam, ualde nobis commendat atq; laudat Chriſti potentiam qui nullo negotio deſperatum pepulit morbum. Mulier uero exemplum nobis fidei ſuppeditat in Chriſtum efficacis. Diffidebat iam medicis, imò deſperarat de omni humano præſidio, omnem ſpem ſuam figit in Chriſtum, qui ipſius fide delectatus, liberauit illã à morbo longe fœdiſſimo. Tanta uero erat fidei fiducia ut apud ſe cogitaret, ſi liceat uel fimbriam ueſtis dominicæ attingere, liberabor à morbo. Non tribuebat ullam uim ueſti, ſed Chriſto tota cõfidebat, cuius uim tantam eſſe credebat, ut uel minimum in illo, adeoq; infirmitas (ut ſic dicam) eius, plus poſſit quàm uniuerſa medicorum ars & potẽtia mundi potentiſſima. Ideo uero ne quis ueſti quicquam attribueret, ſequitur Ieſum cognouiſſe ex ſeſe prodiſſe uirtutem,

Prodit è Chriſto uirtus.

Prodijt autem uirtus à Chriſto non à loco in locum tranſiens, ſed manens immota & minime imminuta in Chriſto: cõmunicatur uero alijs: quemadmodũ etiam doctrina prodit è docentibus traditurq; diſcentibus, ut interim docens nihil amiſerit. Theophylactus per allegoriam hoc poſtremum explicans, Tetigit, inquit, ueſtem Chriſti, hoc eſt carnẽ eius, & ſanata eſt. Qui credit eum eſſe incarnatum deum, is eſt qui tangit ueſtimentum eius. Singulariter fidei ueræ uirtus explicatur hac hiſtoria, illa ſemper retinet timorem & cum tremore & reuerentia ambulat in uijs domini. Cætera pete ex 9. cap. Matth.

Ind 6. 14. 15ũ. 14. 6.
MS. V. 3233.

Adhuc eo loquente, ueniunt à principe ſynagogæ qui dicerent, Filia tua mortua eſt, quid ultra uexas magiſtrum? Ieſus autem protinus audito ſermone qui dicebatur, ait principi ſynagogæ, Ne metuas, tantummodo crede. Et non permiſit quenquam ſe conſequi, præter Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrem Iacobi: & uenit in domum principis ſynagogæ, uidetq; tumultum ac flentes ac eiulantes multum. Et ingreſſus ait illis, Quid tumultuamini & ploratis? Puella non eſt mortua, ſed dormit. Et irridebant eum. Ipſe uero eiectis omnibus, aſſumit patrem & matrem puellæ, & eos qui cum ipſo erant, & ingreditur eò ubi puella decumbebat, & præhenſa manu puellę, ait illi, Talitha cumi: quod eſt, ſi quis interpretetur, Puella, tibi dico, ſurge. Et ſtatim ſurrexit puella & ambulabat. Habebat enim annos duodecim. Et inuaſit eos ſtupor magnus: & interminatus eſt eis multum, ne quiſquam reſciſceret hoc: & iuſſit ut daretur ei quod ederet.

Chriſtus uita eſt credentium.

Tertia hiſtoria euidens admodum & præclara, docet apertiſſime Chriſtum Ieſum eſſe dominum uitæ & mortis, adeoq; ſua uita omnes reuocare credentes ad uitam, qui per peccata fuerant mortui, eorundẽ corpora & in fine mundi ex mortuis

tuis excitare posse. Proinde quod seruuli nunciant puellulam mortuã, quod aderant de more lamentãtes totaq; domus ploratibus perstrepebat amaris, argumenta erant uere mortuam esse puellam: unde clarius eluceſcit maxima Christi uirtus, mortuam nullo negotio reuocantis ad uitam. Metuimus misere mortem omnes. At misit nobis pater cœlestis medicum & principem uitæ potentissimum, cui si nos credamus permittentes nos totos potentissimo, à ui mortis liberare potest. Si quis ex India aut Aethiopia ueniens polliceretur sese certis & probatis medicamentis mortem uel depellere, uel quo tardius ingruat, uel minus in nos sæuiat efficere posse, quanta quæso hominum uis ad talem acceleraret medicum? Accurramus ergo fide uera cum Iairo ad uerum & cœlestem medicum, ad principem illum uitæ & mortis. Efficiet enim certò ut morientes non moriantur, si quis spectet animarum immortalitatem, & corpora quoque ipsa somno duntaxat consopiantur ad tempus. Rursus enim in fine mundi resurgent ad uitam & gloriam sempiternam. Territant quidem & ad desperationẽ impellunt ferè spectra & terriculamenta uaria, suadentia morituros perituros q; nos. Cæterum in omnibus tentationibus subinde reuocanda mente domini uox, Ne metuas: tantummodo crede. Non potest fallere & mentiri ueritas æterna. Qui iubet credere, credentem non potest fallere. Reliqua require apud Matth. in cap. 9. Porrò recitat Marcus uerbis Syriacis ut D. Hieronymo uisum est, quod dominus puellæ mortuæ dixit, non ut Magis formulam præberet incantandi, sed ut ostenderet dominum nullo negotio nec; inuocatione alterius dei, imò uirtute propria mortuam reuocasse in uitam. Hieronymus quædam disputat de uocibus illis peregrinis ac earum interpretatione, de optimo interpretandi genere ad Pammachium.

phil. 2. v. 17. 1. 1. v. 23. Heb. 2. 14. Ioh. 12. 25. Mar. 10. 28.

CAP. VI.

Et egressus est illinc, uenit q; in patriam suam, & sequuntur eum discipuli sui. Cum q; adesset sabbatum, cœpit in synagoga docere: multi q; audientes obstupuerũt, dicentes, Vnde huic hæc? & quæ est hęc sapientia, quæ data est illi? & tam potentia facta (quæ) opera eius efficiuntur? Nónne hic est ille faber, filius Mariæ, frater autem Iacobi & Ioſe & Iuda, & Simonis? Nónne & sorores eius hic apud nos sunt? Et offendebantur in eo.

Docet dominus

Rursus docet dominus, qui illuminaturus & redempturus mundum uenerat. Ergo doctrina aliud non habet præstãtius ecclesia Christi. Est enim animæ cibus, regula uitæ, & lucerna illuminans oculos. Sed & circumstantias diligenter attingit omnes, iccirco easdem nonnihil illustrare operæpretium est. Ac principio quidem omnibus debemus ex charitate & humanitate beneficentiam, in primis autem patriæ. Cui qui non benefacit, hominis nomine indignus est: qui damno afficit, diabolus est. Deinde docuit in synagoga siue in cœtu dominus. Tametsi enim priuatim singulorum sit uerbum dei, uoluit tamen dominus ab initio prædicari maxime in ecclesia sanctorum. De synagogis dictum est apud Matth. Iam omne tempus cultui dei est idoneum, sabbatũ tamen peculiariter cultui est destinatum, in quo coeant sancti ad preces & doctrinam pietatis, deinde etiam ab omni uanitate & re praua cessent, uirtutibus operam dent. Docuit autem ac interpretatus est dominus scripturam, Isaiæ locum è 61. ca. enarrans, ut est apud Lucam in cap. 4. Reliquit autem ministris suis & exemplum & institutionem, quid & ipsi tractent & tradant in concionibus sacris, Christum & quæ uidelicet per Christum dedit nobis pater cœlestis, tradant autem ex scripturis, quæ plene omnia Christi

Tituli in docentibus.

mysteria comprehendunt. Sequitur quomodo populus ad prædicationem ueritatis afficiatur. Miratur quidem, sed offenditur interim. Externa quærit, genus, stemmata, pompam, titulos, & strepitum huius sæculi, quæ cum non inuenit, contemnit. Cæterum his externis ut non innititur prædicatio ueritatis, ita ijsdem non uult commendari. Sed & hodie quoq; multi magni faciunt titulos & pompam in doctoribus. Sed nihilo faciunt prudentius quàm Nazarethani. Reliqua pete ex Matth. cap. 13. & Luc. 4. Item de Fratribus Iesu Matt. 12. cap. Paraphrastes, Cum, inquit, doceret in synagoga Iesus, apud multos hoc ipsum eleuauit illius authoritatem, quod iuxta carnem notus esset. Nouerant tenues parentes, & humilem domum, unde prodierat: de patre cœlesti, deq; domo æterna, unde nostra causa descenderat, ne per somnium quidem aliquid suspicabantur. Nouerant artem paternam qua Ioseph familiam alebat, quam primis annis & ipse Iesus exercuerat. Erat autem faber lignarius, opificio uidelicet congruente ei, per quem pater cœlestis mundum hunc uniuersum fuerat olim fabricatus. Per fabrum conditum est genus humanum: per fabrum decuit & restitui. Et reliqua. Idem in Annotat. Intelligimus dominum & patris sui, ait, legalis exercuisse artem. Cur enim hoc recusasset nostra causa dei filius, qui ne crucem quidem recusauit? neq; Paulum, tantum uidelicet apostolum, puduit opera manuaria parare quo uictitaret &c. Offendebantur autem uilitate Christi, & resiliebant à doctrina eius.

Dicebat autem illis Iesus, Non est propheta contemptus, nisi in patria sua, & inter cognatos, & in familia sua. Et non poterat ibi uirtutem ullam edere, nisi quod paucos infirmos, impositis manibus sanauit, ac mirabatur propter incredulitatem eorum. Obibat autem uicos undiq; circumiacentes, docens.

Nolle dei est non posse.

Exposui hæc apud Matth. in cap. 13. Alij uero nõ inepte, Non potuit, pro, Non uoluit, exponunt. Cum enim omnipotens sit filius cum patre, nolle eius est non posse. Potest quidem omnia, sed ideo non uult omnia. Vult ea quæ bona sunt, & quæ contra uerbum eius non pugnant. Errant ergo qui ex omnipotentia dei colligunt quiduis, quasi id etiam fecerit quod contra uerbũ dei est, neq; fecit unquam. Ordine agit dominus. At indigni erant propter incredulitatem Nazarethani, quibus dominus multa conferret beneficia &c. Iterum autem inculcat obambulasse Christum dominum ac docuisse, quo uidelicet altius infigat docendi munus.

Et accersit duodecim, cœpitq; eos emittere binos, ac dabat illis potestatem aduersus spiritus immundos, præcepitq; eis, ut ne quid tollerent in uiam, nisi uirgam solum: non peram, non panem, non in zona æs, sed calciarentur sandalijs, & ne induerẽtur binis tunicis. Et dicebat eis, Vbicunq; introieritis in domum, illic manete, donec exeatis illinc. Et quicunque non receperint uos, neq; audierint uos, exeuntes illinc, excutite puluerem, qui est sub pedibus uestris, in testimonium illis. Amen dico uobis, tolerabilius agetur cũ Sodomis aut Gomorrhis in die iudicij, quàm cum ciuitate illa.

Apostoli amandãtur ad docendum.

Appositissime post concionem saluatoris subnectit S. Marcus ablegationem discipulorum ad munus prædicandi. Iam enim tempus erat ut quos hactenus suo exemplo docuerat & ad prædicandum destinarat, iam periculum facere iuberet.

Omnia

Omnia explicata sunt apud Matt. in ca. 10. inde require. Paraphrastes hunc Marci locum egregie explicat, quem si legeris certe non citra fructum legeris.

Et egressi prædicabant ut resipiscerent: & dęmonia multa eiiciebant, ungebantq; oleo multos ægros & sanabant.

Præceptis dominicis adiungitur obedientia fides & diligentia apostolorum, ut implorato dei auxilio illa ipsa factis exprimere annitantur quotquot uocati sunt ad ministerium uerbi. Eiiciebant dæmonia uirtute Christi, quem prædicabant, & in ipso renouationem uitæ. Vbi uero innouatur homo, per spiritum sanctum innouatur, ac cedens sathanas locum præbet regi Christo, qui uenit in mundum ut regnum & opera diaboli dissoluat. Vngebant ægros oleo, nimirum iuxta institutionem Christi. Haud enim uerisimile est apostolos quicquam tentasse aut fecisse quod non prius iusserit Christus. Vsi autem sunt oleo apostoli sicuti dominus manuum impositione, sputo & luto: significans utique uirtute diuina non medicamine humano morbos curari. Itaque adhibebant oleum apostoli, significantes spiritus sancti uirtute (per oleum enim frequenter in scripturis significatur spiritus sancti gratia) curari, quos curabant ipsi. Ideo uero non protinus sequitur oleum esse sacramentum, id est ceremoniam Christianorum perpetuam, beneuolentiæ dei erga nos testimonium &c. sicuti est Baptismus & Cœna domini. Alioqui multa possent sacramenta fingi in ecclesia, etiam sputum & lutum, &c. De loco Iacobi quinto capite disputaui in Commentarijs ad epistolam Iacobi.

Obedientia ergo fides apostolorum.

Vnxerũt ægros apostoli.

Hæc audiuit rex Herodes (innotuerat enim nomen eius) dicebatq;, Ioannes ille qui baptizabat resurrexit à mortuis, & propterea uirtutes agunt in illo. Alij dicebant, Helias est. Alij uero dicebant, Propheta est, uel tanquam unus ex prophetis. Cum audisset autem hoc Herodes dixit, Cui ego præscidi caput, Ioannes iste est, ipse surrexit à mortuis.

Priusquam historiam de Ioanne exituq; & fine eius narret Marcus, præmittit quod fama nominis Iesu ualde inclaruerit in mundo, adeo ut & regi Herodi & aulæ Herodianæ innotuerit. Adiungitur uariatum esse sententijs nimirum in uulgo & turba. Præmonet autem fideles ne offendantur si forte uariæ sint de euangelica doctrina et Christo sententiæ. Pergendum nihilominus in assertione ueritatis certæ & indubitatæ. Reliqua pete ex principio cap. 14.

Nam ipse Herodes missis satellitibus præhenderat Ioannem, & uinxerat eum in carcere propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui: quia duxerat eam uxorem. Dicebat enim Ioannes Herodi, Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Herodias autem insidiabatur illi, cupiebatq; occidere illum, nec poterat. Herodes enim metuebat Ioannem, sciens eum uirum iustum & sanctum, & obseruabat eum, auditoq; eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Et cum dies opportunus accidisset cum Herodes in natalitijs suis cœnam faceret primatibus ac tribunis & primoribus Galilææ, cumq; introiisset filia ipsius Herodiadis ac saltasset placuissetq; Herodi ac simul accumbentibus, rex ait puellæ, Pete à me quicquid uis, & dabo tibi, iurauitq; illi, Quicquid petieris à me,

dabo tibi usque ad dimidium regni mei. At illa egressa dixit matri suæ, Quid petam? Illa uero dixit, Caput Ioannis baptistæ. Et ingressa statim cum festinatione ad regem, petiuit, dicens, Volo ut protinus des mihi in lance caput Ioannis baptistæ. Et dolore affectus rex propter iusiurandum eosq; qui secum accumbebant, noluit eam reijcere. Et cõfestim rex misso spiculatore iussit inferre caput eius. At ille abijt, & decollauit eum in carcere, & attulit caput eius in lance, deditq; illud puellæ, & puella dedit illud matri suæ. Quo audito discipuli eius uenerunt, & sustulerunt cadauer eius, posueruntq; illud in monumento.

Nobile proponitur omnibus uerbi dei ministris exemplum in Ioanne baptista, quem imitentur synceritate fidei, puritate doctrinæ, zelo dei & uirtutum, libertate in dicendo, fortitudine & constantia in agendo. Nec pluris faciant suæ famæ existimationem uitæq; incolumitatem, quàm suum illud excellens ministerium, præclarum inquam ueritatis præconium, confessionem dei, laudem uirtutum & scelerum grauem accusationem condemnationemq;. Reliqua quæ in illustri hac historia ueniunt obseruanda, tractaui apud Matthæum in capite decimoquarto.

Et cõgregantur apostoli ad Iesum, & renunciauerũt ei omnia, & quę egissent quæq; docuissent. Et ait illis, Venite uos soli seorsim in desertum locum, & requiescite paululum. Erant enim qui uenirent & abirent multi, ac ne cibum quidem capere uacabat. Et contulit se in desertum locum nauigio seorsum.

Semper recurrendum ad Christum.

Consultissime redeunt iam ad saluatorem apostoli, prædicatione euangelica perfecta, à quo legati abierant prædicatum. Semper enim recurrendum est ad Christũ, à quo proficiscũtur omnia. Huic nos & omnia nostra probanda deferre oportet. Qui mundo placere cupit Christiq; obliuiscitur capitis, uocationi suæ parum aut nihil prorsus respondet. Neq; hic nobis si quid per nos egregie geritur, tribuendum. Omnis laus & gloria Christo agenti bona & præclara per nos deferatur. Ac rebus quidem bene strenueq; gestis per apostolos, auocat ipsos ad locum solitarium, in quo frequentia hominũ aliquandiu non turbarentur. Requies enim iusta conceditur sanctis labore delassatis. Neq; enim probantur deo qui immodicis sese ante tempus conficiunt laboribus, atq; eo modo sese utilitati publicę ueluti subducunt. Paraphrastes addit & aliud, Non datus est secessus, inquit, ad uoluptatibus laxandum animum, sed ad secreta precatione uegetandum renouandumq; spiritus uigorem mox recursuris laboribus. Nam doctori euangelico sanè quàm leuis debet esse cura corporis. Porrò qui fungitur apostolico munere, quoniam cum infirmis & firmis, cum doctis & indoctis, cum bonis & malis rem habere cogitur, fieri non potest quin interdum ab illa perfecta tranquillitate mentis nonnihil labefactetur. Id quoties accidit ad secretas & intentissimas preces, ad puriſſimam rerum cœlestium contemplationem animus est traducendus, ut mox uegetior factus ad iuuandum proximum redeat.

Cumq; uidissent eos abeuntes turbæ, agnouerunt eum multi, & itinere pedestri ex omnibus ciuitatibus cõcurrerunt illuc, & præuenerunt eos, conueneruntq; ad illum. Et egressus uidit turbam multam Iesus, & intime

intime misertus est eorum, quia erant uelut oues nõ habentes pastorem. Et cœpit illos docere multa.

Commendatur hic nobis ardentissimum studium audiendi uerbum dei, quod fidelis turba nunquam non pari zelo exprimere contendit. Qui negligunt uerbi dei prędicationem, ex deo non sunt, sicuti ipse dominus Iesus pronunciat apud Ioannem in cap. 8. Iesus quoq; ualde delectatus pio uulgi studio, prodit ad turbam & intime misertus eius, quod negligeretur à Pharisæis, lupis uerius quàm pastoribus, ipse ueri pastoris officium præstitit, ac turbam fideliter docuit. Vnde iterum claret doctrinam sanam, synceram & fidelem, primariam & præstantissimam esse functionem in officio doctoris episcopi siue pastoris. De hac re quædam inuenies & in fine cap. Matth. 9. & 14. *Ardens studiũ audiendi uerbi dei.*

Cumq; iam multum diei præteriisset, accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes, Desertus est locus, & iam multum temporis effluxit, dimitte illos ut abeant in circumiacentes uillas & uicos, emantq; sibi ipsis panes: nam quod edant non habent. At ille respondens dixit illis, Date uos illis quod edant. Et dicunt ei, Euntes emamus ducentis denarijs panes, & demus illis quod edant? At ille dicit eis, Quot panes habetis? Ite & uidete. Et cum cognouissent, dicunt, Quinque & duos pisces. Et præcepit illis ut discumberent omnes, distributis conuiuijs in uiridi gramine. Et discubuerunt diuisi per uiridaria, centeni & quinquageni. Et cum accepisset quinque panes & duos pisces, sublatis in cœlum oculis, benedixit ac fregit panes, deditq; discipulis suis, ut apponerent illis, & duos pisces diuisit omnibus. Comederuntq; omnes & saturati sunt, & sustulerunt fragmentorum duodecim cophinos plenos & de piscibus. Erantq; qui comederant circiter quinq; milia uirorum.

Re ipsa ostendit se uerum esse pastorem missum in hunc mundum ad saluandas oues, & ad ordinandos toti orbi pastores, qui cibo ex manibus domini sumpto pascant ad finem usq; sæculi gregem sanguine Christi redemptum. Plura require ex decimoquarto capite Matthæi, ubi hanc historiam enarraui copiosius. Marcus singulariter designat miraculum quod è duobus piscibus tanta populi uis satiata sit, adeoq; & plurimum de ijs superfuerit. Credamus ergo ubiq; deo, qui sperantes in se non negligit, & omnia quæcunq; uult, & hominibus salutaria gloriæq; eius conuenientia sunt, facit. Consolantur hæc ualide credentes uerbo dei, non tantum ministros, qui hic uident cuius degant sub patrocinio, & quis sit pastor summus uere optimus maximus. *Summus pastor alios ordinat pastores.*

Et statim coegit discipulos suos conscendere nauim, & præcedere, transmisso mari, Bethsaidam, dum ipse dimitteret turbam. Et cum dimisisset eos, abijt in montem ad orandum. Cumq; aduesperauisset, erat nauis in medio maris, & ipse solus in terra, uiditq; eos laborantes in remigando. Erat enim uentus aduersus eis. Et circa quartam uigiliam noctis uenit ad eos ambulans super mare, & uolebat præterire eos. At illi ut uiderunt illum ambulantem super mare, putauerunt spectrum esse, & exclamauerunt. Omnes enim uidebant eum, & conturbati sunt, &

ſtatim locutus eſt cum eis, dicitq; eis, Bono animo eſte, ego ſum, ne terreamini. Et aſcendit ad illos in nauim, & cõquieuit uentus, & ſupra modum uehementer ſtupeſcebant apud ſeſe & admirabantur. Non enim meminerant panum: erat enim cor eorum occæcatum.

Beneficio maximo aliâs coniungit aliud æque ingens & præſtans, quod periclitantes in undis præſentiq; proximos exitio eripuerit. Hoc manifeſtiſſime demonſtrat ſe omnes inuocantes poſſe ex quouis etiam deſperatiſſimo eripere periculo. Sed expoſuimus hæc apud Matthæum in cap. 14. Adijcitur in præſenti à S. Marco, Non enim meminerant panum: erat enim cor eorum excæcatum. Quo rationem reddit cur ita obſtupuerint diſcipuli, quia nec retinebant firmiter, nec expendebant ſatis diligenter beneficia miraculaq; domini: illud etiam quod præterita die multiplicatis panibus deſignarat. Id uero inde erat quod corda ipſorum eſſent occæcata obducta q; caligine inertiæ & ſtupiditatis humanæ. Si diligenter expẽdiſſent, quantæ fuerat uirtutis tantam multitudinem tantulo ſaturare cibo, eidem diuinæ potentiæ tribuiſſent, & per fidem ſanam cum gratiarum actione agnouiſſent inceſſum corporis dominici ſuper aquas, & liberationem illã ex inundatione aquarum prodigioſam. Claret item unde exoriatur incredulitas & craſſities humani pectoris, ex occæcatione cordis. Cor autem hominis occæcatur rebus uarijs, affectibus humanis, incuria & inertia, indiligentia & affectuũ perturbatione: ſicuti apoſtolis uſu ueniſſe ueriſimile eſt. Excæcat & ſathanas, ſicuti apoſtolus teſtatur, 2. Corinth. 4. Neq; eſt ut cauſas excæcationis ſemper reijciamus in deum. De qua re aliâs.

Et cum traieciſſent, uenerunt ad terram Genezareth, & appulerunt. Cumq; egreſſi eſſent è naui, continuo agnouerunt eum, & percurrentes totam undiq; regionem illam, cœperunt in grabbatis eos qui male habebant, circunferre (eò) ubicunq; audiebant illum eſſe. Et quocunq; introijſſet in uicos aut in ciuitates aut in uillas, in plateis ponebant ægros: & precabantur eum, ut uel fimbriam ueſtimenti eius tangerent. Et quotquot tangebant eum, ſalutem conſequebantur.

Omnium ſaluator Chriſtus.

Omnium ſaluator eſt Chriſtus. Ergo non tantum liberat apoſtolos periclitantes in lacu procellis obortis ſæuiente: ſed medetur omnium morbis, omnium inquam eorum qui ipſum accedunt per fidem. Innotuerat iam beneficium mulieri ſanguinis profluuio laboranti à Chriſto præſtitum. Iam ergo cupiunt omnes fimbriam ſaltem ueſtimenti contingere. Qua re non commendatur nobis ueſtis Chriſti, ſed eximia illius potentia ac fides in ipſum. Paraphraſtes, Quotquot contingebant Ieſum ſanabantur quocunq; genere morbi tenebantur. Illi fidentes contingebant fimbriam ueſtis, quæ poſtea ceſſit his qui crucifixerant eum, & leuabantur morbis corporum, quanto magis adnitendũ eſt omnibus, ut Ieſum ipſum contingant animo, & ſanentur à morbis animorum? Nihil ualet contactus ſine fide. Nudum Ieſu corpus contrectabant qui impegerunt alapas, qui uinciebant, qui flagellabant, qui ſuffigebant in crucem, neq; cuiquam horum profuit contigiſſe. Legis euangelium, contingis quidem Ieſum: ſed legis ut refellas, aut legis oſcitanter, fruſtra contingis Ieſum. Lege ſyncera fiducia, mox ſanaberis. Sed deprecandus eſt Ieſus, ut liceat contingere. Fruſtra cõtingit, quem ille non contingit prior &c. Conſule cap. Matth. 14.

Et conueniunt ad eum phariſæi & quidam è ſcribis, qui uenerant Hieroſolymis, & cum uidiſſent quoſdam ex diſcipulis eius, communibus manibus, id eſt illotis, edere panes, incuſabant. Nam Phariſæi & omnes Iudæi, niſi crebro lauerint manus, non capiunt cibum, obſeruantes inſtituta maiorum: & à foro (uenientes) niſi loti fuerint non edunt. Et alia multa ſunt quæ ſuſceperunt ſeruanda (nempe) ablutiones poculorum & urceorum & æramentorum & lectorum. Deinde interrogant eum phariſæi & ſcribæ, Quare diſcipuli tui non uiuunt iuxta ritum traditum à maioribus, ſed illotis manibus edunt panem? CAP. VII.

Traditiones humanæ.

Diſputationi de uerbo dei & doctrina ſana, ſubiungitur tractatus de Traditionibus humanis. Initio indicatur quales fuerint traditiones Phariſæorum, idq; prę aliſs euangeliſtis diligenter & copioſe exponit. Deinde quid obiecerint domino, enumerat. Quæ omnia explanauimus apud Matth. in cap. 15.

At ille reſpondens, dixit illis, Bene uaticinatus eſt Iſaias de uobis hypocritis, ſicut ſcriptum eſt, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe abeſt à me. Fruſtra autem colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum. Nam omiſſo præcepto dei, ſeruatis conſtitutionem hominum, ablutiones urceorum & poculorum, aliaq; his ſimilia facitis multa.

Confutat his traditiones hominũ, prophetico probans teſtimonio illas nihil facere ad cultum dei. Nec placere deo qui traditiones hominum obſeruant; imò has impedire uerum dei cultum inducereq; neglectum uerbi dei. Id quod conſequentibus clariſſime demonſtrat.

Et dicebat illis, Pulchre reiiçitis præceptum dei, ut conſtitutionem ueſtram ſeruetis. Moſes enim dixit, Honora patrem tuũ & matrem tuam: & qui maledixerit patri uel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, Si dixerit homo patri uel matri, Corban, quod eſt, dono quodcunq; ex me (tu) iuuaberis. Et præterea nõ ſinitis eum quicquam facere patri ſuo, aut matri ſuę: & irritum facitis uerbum dei per conſtitutionem ueſtram, quam tradidiſtis. Et ſimilia multa facitis.

Euincit exemplo euidentiſſimo leges humanas antiquare & in obliuionem abducere leges diuinas. Ironiam autẽ reſipit quod ait, Pulchre reiiçitis &c. קרבן Syriace ſignificat donum, uel oblationem. Reliquiſſe uidetur uocem Syram, quod tunc cum Marcus ſcriberet omnibus eſſet notiſſima, ſed & in uſu olim fuiſſet ſacerdotibus. Fortaſſis petierunt hunc ritũ poſtulandi & colligendi pecunias in gazophylaciũ, ex lege. De qua re conſule Exodi 30. & 36. cap. item 4. Reg. 12. Quod ſub finem appendit, Et ſimilia multa facitis, ſuam quoq; habet emphaſim. Ne quis enim domini uerba de unico hoc exemplo interpretaretur, ſimilia omnia comprehendit. Cauendę ergo ſunt omnes hominum traditiones & fugiendæ. Reliqua pete ex Matth. cap. 15.

Et cum aduocaſſet ad ſe totam turbam, dicebat illis, Audite me omnes & intelligite. Nihil eſt extra hominem introiens in eum, quod poſ-

ſit eum inquinare, ſed quæ de homine procedunt, illa ſunt quæ inquinant hominem. Si quis habet aures ad audiendum, audiat. Et cum introiſſet in domum (ſemotus) à turba, interrogabant eum diſcipuli eius de ſimilitudine. Et dicit illis, Siccine & uos intelligẽtia caretis? Nondum intelligitis quod omne foris introiens in hominem, non poſſit eum inquinare? Quia non intrat in cor eius: ſed in uentrem, & in ſeceſſum exit expurgans omnes cibos. Dicebat autem, Quod ex homine exit, illud inquinat hominem. Ab interioribus enim è corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, ſtupra, homicidia, furta, auaritiæ, fraudes, dolus, impudicitia, malus oculus, conuitia, ſuperbia, ſtultitia. Omnia hæc mala ab internis procedunt, & inquinant hominem.

Quæ ſit uera puritas.

Perſeuerant & pergunt in ſua prauitate & corruptione Phariſæi, auerſus ergo ab ipſis utpote cæcis & cæcorum ducibus, conuertitur ad ſimplicem plebeculam, ac ipſam parabola quadam inſtituens, docet, quæ uera puritas, & quis ſcopus ueræ doctrinæ, Pietas. Ea enim ad omnia utilis eſt, & complexu quodam ſacro continet omnes uirtutes. Cæterum Cor affectuum uoluntatisq; ſedes eſt, quemadmodum Renes cupiditatum. Et quod de corde & natura purgante dicit dominus, tale eſt, Quod ingreditur in os, non transmittitur in cor, ſed in ſtomachum, mox in uentrem: inde ſi quid impurum eſt, excernitur in ſeceſſum, ut ueſcenti ſit omnis cibus purus, natura repurgante quod impurum eſt. Enumeratio autem ſcelerum & uitiorum cognita eſt uel ex Paulinis epiſtolis. Malus oculus inuidus eſt animus adeoq; ipſa inuidentia. In oculis enim ipſe relucet animus hominis. Sed & Matth. 20. cap. ponitur malus oculus pro animo liuido. Plura pete ex Matth. cap. 15.

Et inde ſurgens abiit in confinia Tyri & Sidonis, & ingreſſus domum neminem uoluit ſcire, nec potuit latere. Cum enim audiſſet de eo mulier, cuius filiola habebat ſpiritum immundum, uenit & accidit ad pedes eius. Erat autem mulier Græca, Syrophœniſſa genere, & rogabat eum ut dæmonium eiiceret è filia ſua. Ieſus autem dixit ei, Sine prius ſaturari filios. Non eſt enim honeſtum ſumere panem filiorum & obiicere catellis. At illa reſpondit & dicit illi, Etiam domine: nam catelli quoq; comedunt ſub menſa de micis filiorum. Et ait illi, Propter iſtum ſermonem uade: exiit dæmonium è filia tua. Et cum abiiſſet domum ſuam, reperit dæmonium exiiſſe: & filiam iacentem ſuper lectum.

Fides radix puritatis.

Veræ puritatis pietatisq; fundamentum & uirtus èſt fides in dominum Ieſum. Nobile ergo exemplum fidei præſtantiſſimæ in Syrophœniſſa adiungitur. Sed & bonitas atq; potentia Chriſti, in quem tendit fides noſtra, ſuis pingitur coloribus. Interim & uocatio gentium adumbratur, ſummaq; fide & diligentia inquiruntur perditæ oues domus Iſraelis. Reliqua tractaui in decimoquinto capite apud Matthæum.

Et rurſum egreſſus de finibus Tyri & Sidonis uenit ad mare Galilææ per medios fines Decapolis, & adducunt ei ſurdum impeditum q; ad

ad loquendum, & precantur eum ut imponat illi manum.

Aliud additur à S. Marco beneficium, quo declaratur uirtus & bonitas Chri. Curat dominus
sti, commendatur & fides studiosis pietatis, qua participes efficimur bonorum surdũ et mutũ.
cœlestium. Miser ille surdus & mutus diaboli potentia permissioneq; dei in eam
inciderat calamitatem in qua nunc diuexabatur. Adducitur autem ad Iesum,
quem precantur ut ipsi manus imponat. Ergo ad Christum accelerandum est, Chr̃us omnib.
quoties nos uel animi uel corporis mala premunt. Solus enim ille benignus & miseris succur-
omnium potens, manus suas omnibus imponens se inuocantibus, uirtute sua me rit.
dicatur. Diabolus quidem occupat in homine auditum præcipue, sensum sapien-
tiæ, ut nolit audire homo ea quæ sancta sunt rectaq;. Mox & linguam occupat,
quam impedit ne & ipsa rite suo defungatur officio. Inde uero in factis & dictis
deprehenditur extrema corruptio: quam non sanauerit ullus alius quàm Chri-
stus dominus.

Et cum abduxisset eum à turba seorsum, misit digitos suos in aures
eius, & sputo emisso, tetigit linguam eius, ac suspiciens in cœlum, inge-
muit, & ait illi, Ephphatha, quod est, aperire. Et statim apertæ sunt eius
aures, & solutum est uinculum linguæ eius, ac loquebatur recte.

Potentia diuina sanat afflictissimum Christus. Nihil enim non potest qui
unius essentiæ & potestatis est cum patre. Adhibet mundo contemptibilia, & re-
uera nihilominus sanat, ne uidelicet dubitaremus illum nos per mortem crucis
à morte æterna liberare. Subducit miserum à turba. Oportet enim submoueri è subducit à
mundo & è prauis mundi exemplis seu contagio & corruptione potius extrica- turba.
ri eos quos seruare debet dominus. Seruandorum auribus immittit digitos, uir- Immittit digi
tute utique diuina & spiritus sancti opera aperiens cor & mentem ut ea audiant tos in aures.
quæ salutaria sunt. Saliuam imponit linguæ. De eo Paraphrastes, In proximo est Saliua linguæ
salus, inquit, quoties saliua cœlestis sapientiæ, quæ ipse est, ex ore patris altissi- aspergit.
mi prodiens, dignatur animi nostri linguam contingere, ut sapiant nobis ea quæ
dei sunt. Necq; enim absque hoc humore fit gustus: & humana saliua uiciata per-
uersum habet iudicium. Hæc saliua non tantum linguam soluit, uerum etiam
oculos aperit cæci nati, quoties admixta terræ oculis inungitur, cum saliua phi-
losophorum & pharisæorum magis exoculet. Protinus autem atq; aures & lin-
guam Christus contigerit aperiuntur illæ atq; soluitur hæc. Audimus enim & li-
benter quidem ueritatem, & loquimur ea quæ recta sunt, quæ utique faciunt ad
laudem & gloriam dei proximorumq; salutem. Suspiciens uero in cœlum, no- Suspicit in
bis indicat, unde omne donum atque bonum proficiscatur, & unde bona nobis cœlum.
dari postulemus. Habitauit in ipso omnis plenitudo deitatis corporaliter dum
ageret in terris, eratq; fons uitæ & salutis, subduxit se tamen mundo & ascendit Ingemiscit
in cœlum, ut in cœlos subleuaret animos omnium nostrum. Ingemiscit ut osten-
dat se esse pontificem qui possit compati infirmitatibus nostris. Deinde ut doce- Ait Hephetah.
ret nos dona cœlestia gemitibus & ardenti petere desyderio. Commemorat Mar-
cus Syram uel Hebræam uocem הפתח, quod uerbum graue est significationem
habens transitiuam: quasi tu dicas, Præsta te apertum, siue fias apertus. Videtur Virtute Chri-
autem relictum à S. Marco ut intelligeremus dominum in curandis morbis nul- stus non uerbis
lis conceptis incantatorum more uerbis, sed maxime uulgaribus esse usum. Hinc curat.
enim quiuis iam colligit uirtutem sanandi non fuisse uerborum, sed uirtutis &

potentiæ Christi, qui propria sua ui iubet, & quod iubet simul etiam effectum præbet.

Ac interdixit eis ne cui dicerent. Sed quo magis ille eis interdixerat, eo magis ac amplius prædicabant, & supra modum stupebant, dicentes, Bene omnia fecit: & facit ut surdi audiant, & muti loquantur.

Theophyl. Docemur, inquit, hoc loco, quod quando benefacturi sumus, non plausus uel celebritates ex beneficijs quæramus. Ergo quod beneficium & potentiam domini tantopere prædicant, nihil peccant contra uerbum Christi, qui alibi gratitudinem poscit & nos uirtutem & beneficia dei prædicare iubet. Eximia uero laus & soli deo competens est omnia bene facere, perfecte, absolute, ut nihil desit prorsus. Eximia uis est, cui nihil quantumuis potens sit obstiterit quo minus quod uult efficiat. Declarant hæc Christum dominum æterni & omnipotentis dei patris æternum & omnipotentem esse filium. Cui laus & gloria semper.

Commen-

COMMENTARIORVM IN[19]

EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM

LIBER TERTIVS.

QVIA potißima uirtus Chriſtianorũ fides eſt, Marcus ſubiungit quædã quibus fidẽ piorum uerbis & factis Chriſti docet iterum atque confirmat, medicans affectui qui fidem ualide obturbat, curamq; præſentiũ rerum adeoq; ipſam diffidentiam alte inſerit. His coniungit exemplũ incredulitatis phariſaicæ, oſtendens incredulitatẽ ſcelus et nephas eſſe maximũ. Præcipit ſuis ut ſibi caueant à fermento phariſæorũ. Mox cæco oculos reddit, ut uel inde appareat quis reddat pijs oculos animi. Subiũgitur deinceps cõfeßionis ueræ fidei Chriſtianæ exemplum. Vbi dominus permulta diſſerit de fidei myſterijs, quomodo nobis parta ſalus per mortẽ ſuam: diſputat & de abnegatione ſui ſiue de mortificatione carnis. Subiungitur his transfiguratio domini, ut hinc guſtũ habeant uitæ futuræ quicũq; præſentẽ cõtemnunt. Poſtea egregio demonſtratur facinore Ieſum eſſe Meſſiam mundi ſaluatorẽ, qui è poteſtate diaboli uenerit liberaturus credentes, qui precibus & ieiunijs contra illius inſidias inuigilant. Iam etiã modeſtiam animi humilitatẽq; ſuis cõmendat, monens interim ne quem damnemus, aut repellamus protinus: ubi & de ſcandalo & correctionis neceſsitate atq; uſu diſputat.

IN diebus illis, cũ turba admodũ multa eſſet, nec haberent quod manducarẽt, accerſitis ad ſe Ieſus diſcipulis ſuis, ait illis, Intimemiſereor turbæ, quia iam triduo manẽt apud me, nec habent quod edant: & ſi dimiſero eos ieiunos domũ ſuam, deficiẽt in uia. Quidã enim ex eis è longinquo uenerũt. Et reſponderunt ei diſcipuli ſui, Vnde iſtos quis poterit hic ſatiare panibus in ſolitudine? Et interrogabat eos, Quot panes habetis? Illi uero dixerunt, Septem. Et præcepit turbæ diſcumbere humi. Et acceptis ſeptẽ panibus, cum gratias egiſſet, fregit, deditq; diſcipulis ſuis ut apponerent: & appoſuerunt turbæ. Et habebant piſciculos paucos: & cum benedixiſſet, iuſſit apponi & hos. Comederũt autem, & ſaturati ſunt, ac ſuſtulerunt quæ ſuperfuerant, fragmentorũ ſeptẽ ſportas. Erant aũt eorũ qui comederant fermè quatuor millia: & dimiſit illos. CA. VIII.

Semper ueretur caro noſtra ſe deſtituendam aliquando rebus corpori ad uictũ uitamq; neceſſarijs: unde eſt quod plæriq; uerbo dei ac concionibus ſacris fœde negle- *Nihil deſore rerum neceſſariarum pijs.*
ctis omnẽ ſuam operã impendunt lucro & augendis rebus: dominus Ieſus re ipſa palàm docet ſtudioſis uerbi dei ſynceraq; conſpicuis pietate nihil unquã defuturum rerum ad uictum & neceſſitatẽ pertinentium. Et quod maxime infirmitatẽ noſtrã ſubleuat, ac fidem inſtruit fulcitq;, illud eſt quod intime noſtri miſeretur, neq; ſemper ſinit iuſti animam eſurire. Fame quidẽ fuerant nonnihil exerciti hucuſq;, uerũ nunc etiam exaturat, ne deficerent in uia. Porrò benedicit dominus, ut nobis exemplũ præferat. *Benedicere.*
Orandus enim dominus pro benedictione, & cum benedixerit, agendæ ſunt gratiæ. Saturat ille ad plenum credentes uerbo eius, & adeò, ut ſuperſit plurimum. Eſt enim fons inexhauſtus bonorum & copiæ cornu abundantiſſimum. Cætera pete ex Matth. *Matth. 14. 15.*
cap. 14. & 15. Paraphraſtes docte & pie hæc à corporali cibo ad ſpiritualẽ deflectens, *Dominus paſcit ſpiritualiter uerbo.* *Paraphraſt.*
dicit, Felix conuiuium ubi famelica turba diſcumbit iuſſu Ieſu. Id fit quoties populus auidus ſermonis euangelici conuenit in baſilicam, auditurus Ieſum per os boni concionatoris loquentem. Nam multi non alio animo ueniunt in ſacrã concionem, quàm quo uulgus ſolet uenire in theatrum ſpectaturum prophanam fabulam. Qui uult ſaturari panibus Ieſu, diſcumbat oportet, idq; ſuper terram. Compoſitis affectibus huc

ueniendum est. Nō merentur hunc cibum qui supini residēt in lectis pharisaicæ philosophicæq; doctrinæ. Quid superbis terra & cinis? Quid intumescis inani philosophia? Quid confidis his rebus in quibus non est salus? Agnosce teipsum, deijce te in terram, unde prodisti. Conquiescant in te cupiditates carnis, et satiaberis cibo Christi.

Religiose utendum est donis dei.

Et mox, Nō est efficax hominis sermo, nisi prius cōtrectatus Christi manibus. Habes eloquentiam, habes philosophiam, habes ingenium, habes cognitionē sacrorum uoluminum, legum & pontificij iuris. Quicquid habes prius trade manibus Christi, consecret ille quod habes, frangat ille, iamq; non uelut tuum, sed ab ipso acceptū & traditum, appone populo. Sunt enim qui frangant panē scripturæ diuinæ, non ut oportet, detorquentes eam ad cupiditates hominum, non ad uoluntatem Iesu. Iesus enim sic frangit ut saturetur multitudo famelica, non ut principum ambitioni aut auaritiæ seruiatur. Quisquis ad quæstum, ad humanam gloriam, ad alias cupiditates humanas docet euangelium, non accipit panes à Christo fractos. Et iterum. Vt autem saturi discedamus ab euangelico conuiuio, faciant doctores quod fecerunt apostoli, faciatq; populus quod fecit illa multitudo. Quid fecerunt apostoli? Sicut acceperant à domino, sic apponūt turbæ, nihil hæsitantes, nihil disputantes. Multitudo item quieta nihil obmurmurans accipit, bonicq; consulit quod datur. Itaq; factum est ut non solū saturati sint omnes, uerum etiam septē sportæ impletæ sint fragmentis reliquiarū quæ saturis superfuerant. Quoq; magis demireris, qui comederant usq; ad saturitatem erant fermè quatuor hominum millia. Nimirū hæc est opulentia sermonis euangelici. Quoties accedit superbus doctor, multo disciplinarum, multo literarū, multo legum & constitutionum apparatu instructus, sic ut undiq; exuberet, clamitans non suffecturum dicenti tempus, concionem non esse capacem rerum tam sublimiū, sese obrui copia & ancipitem fieri, unde debeat ordiri, nónne fieri uidemus ut concio discedat famelica? Tantum abest ut quicquā supersit. Item, Est & hoc aliquid, feliciter discedere à conuiuio Iesu. Sic autem dimittuntur qui gratias agunt, qui ipsius beneficia recondunt in animo, & concoquunt quod acceperunt, qui domum reuersi ueluti saginatiore corpore factis exhibent quod didicerunt. Tantum ille.

Et mox ingressus in nauim cum discipulis uenit in partes Dalmanutha. Et egressi sunt pharisæi cœperuntq; disputare cum illo, quærētes ab eo signū è cœlo, tentantes eum. Et cum ingemuisset spiritu suo, dicit, Cur natio hæc signum inquirit? Amē dico uobis, si dabitur generationi huic signum. Et relictis illis ingressus rursus nauim, discessit in ulteriorem ripam.

Incredulitatis typus.

Exemplū incredulitatis (quæ fidei opponitur) suppeditant nobis pharisæi. De quo dixi apud Matth. in cap. 15. Ingenium enim & natura incredulitatis in præsentiarum adumbratur. Simulat se ueritatem curare, sed quæstionibus interim intricat puram & simplicem ueritatem, &c. Maximū uero flagitium esse incredulitatem illud maxime euincit quod dominus propter illam toto suo ingemiscit spiritu, imo inquam pectore, uel ita testificans nihil perinde deo aduersum & homini noxium esse atq; incredulitatis pestem. Videmus item deum humana calamitate & incredulitate impiorū non delectari. Est enim amator hominum, & qui uult omnes homines saluari, ac ad cognitionem ueritatis uenire. Ideo ingemiscit grauiter dominus, cum malitiam cernit pereuntis in peccatorum sordibus turbæ pharisaicæ. Accedit ad hæc admirabilis loquentis affectus, Amen dico uobis, inquit, si dabitur generationi huic signum. Similis loquutio, Si introibunt in requiem meam. Est enim aposiopesis pathetica cum indignatione negantis,

negantis,& ſub deuotione quadã pernegantis ſe illud quod petitur facturũ. Præterea relictis illis diſcedit,ergo incredulitas pellit à nobis beneficum & clementẽ dominum, non ſponte quidem diſcedentem,ſed noſtra culpa repulſum. Dalmanutha regio,quæ & Magdalum,ſita uidetur inter lacum Genezar & Tabor montem. Auguſt.de Conſenſu euangeliſtarum putat eiuſdem regionis plura eſſe uocabula, addens hoc loco quædam exemplaria pro Dalmanutha habere Mageda. Et Eraſ. annotauit quendam Græcum codicem habere μαγδαλὰ. *Dalmanutha.*

Et obliti fuerant ſumere panes, nec plus quàm unum panem habebant ſecum in naui. Ac præcepit illis, dicens, Videte,cauete à fermento phariſæorum,& à fermento Herodis. Et diſputabant inter ſeſe,dicentes, Panes non habemus. Qua re cognita, leſus dicit illis, Quid diſputatis quod panes non habetis? Nondum animaduertitis, nec intelligitis? adhuc occæcatum habetis cor ueſtrum? Oculos habentes non cernitis? & aures habentes non auditis? & non meminiſtis quando quinq; panes in hominum quinq; milia fregi, quot cophinos fragmentis plenos ſuſtuliſtis? Dicunt ei,Duodecim. Cum autem ſeptẽ in quatuor milia,quot ſportas ex reliquijs fragmentorum tuliſtis? Illi uero dixerunt, Septem. Et dixit illis,Quî fit ut non intelligatis?

Hiſtoria hæc duplicem habet uſum. Principio indicat uſum atq; fructum ſuperioris miraculi,nempe dominum ſuis cultoribus nunquam deeſſe, ſed abunde proſpicere,proinde omnem eis ponendam eſſe diffidentiam. Porrò ualde ſuccenſet noſtræ ſtupiditati dominus,cum is perfrequenter & crebro ingentia præſtat immeritis beneficia,quæ interim parum aut nihil obſeruamus. Non inuenias alium locum in hiſtoria euangelica, quo dominus apoſtolorum craſſitiem acrius obiurgarit. Sic autem excitat omnium noſtrûm mentes, ueternumq; excutit ne ſemper ſimus ignaui. Quid, inquit dominus, ſoliciti eſtis quod ingentem uim panum uobis non parauiſtis in uiaticum? Non de negligentia hac in re uos obiurgabo, ſed de craſſitie cordis & nimia rerum corporalium cura. Tot præceptis inſtituti, tot exemplis edocti, toties admoniti, nihildum animaduertitis,nihilúe intelligitis. Mirum eſt in tanta euangelij luce uos adhuc habere cor,id eſt mentem occæcatam tenebrisq; inuolutam. Mirum eſt oculos habere uos atq; aures,ijs tamen uti nolle,adeoq; nihil uel uidere uel audire. Bis iam oculis ueſtris ingens exhibitum eſt miraculum. Bis ſaturaui ingentem populi multitudinem pauculis panibus:an non inde oportebat colligere, nihil unquam defore rerum neceſſariarum pijs? Ipſi teſtes eſtis quot de reliquijs ſportas ſuſtuleritis. An non de quinq; panibus ſportas ſuſtuliſtis duodecim,& de ſeptem panibus cophinos ſeptem? Sanè. Res in aperto & comperta eſt. Quî ergo fit ut toties & tot modis edocti, nõdum intelligatis curam iſtam de uictu & rebus corporalibus & inanẽ eſſe & parum piam? Deinde deflectit dominus à corporali cibo ad ſpiritualem,& monet ſuos,ſibi caueant à doctrina phariſaica & Sadducæorum. Fermentum enim & doctrinam ſignificat falſam, ex qua naſcitur hypocriſis, ipſa denique oritur ex hypocriſi: de qua dictum eſt Matth.16.& conuerſationem prauam atque corruptam, de qua Paulus 1. Corinth.5. Doctrina phariſæorum merito confertur fermento. Nam acerbas reddebat conſcientias & inflabat homines ſpiritu ſuperbiæ. Herodiani uidentur fuiſſe homines aulici, Galilææ rectores atq; magiſtratus, qui in doctrina Sadducæis reſurrectionem negantibus adhæſerint. Quos enim Herodianos appellat hoc loco Marcus, Matthæus uocat

offenditur dominus nimia cura rerum temporariarum.

Cauendum à doctrina phariſaica.

Herodiani.

Sadducæos. Et certe aula Herodis Sadducæorum dogma non grauatim recepit, quæ aliâs uiuebat impuriſſime. Qui reſurrectionem mortuorum negant, non poſſunt non diffluere libidinibus. Huiuſmodi fœda portenta erant Herodiani, quorum princeps Herodes erat, adulter, inceſtuoſus, ebrius, ſanguinarius, ambitioſus, & parricida. Proinde uoluit dominus ſuos diligenter admonere ut cauerent ſibi à nocentiſſimis peſtilentiſſimiſq; malis, ab hypocriſi, & licentia carnis, quæ uacat omni timore numinis. Illa ferè ad dextram, hæc rapit ad ſiniſtram. Hodie uideas hæc ipſa hominum genera grauiter piorum imminere ceruicibus, & eccleſiam impetere. Hac enim irrepunt iuſtitiarij monachi, & qui uidentur eſſe homines ſpirituales, reuera autem hypocritæ ſunt. Illac irruunt impuri & Epicurei uiri, principes, nobiles, aulici, ciues, plebei, & agreſtes, qui quærunt licentiam carnis, deum non metuunt, reſurrectionem negant, iuxta concupiſcentias carnis uiuunt impuriſſime. Ab utriſq; uero niſi diligenter caueas, actum erit de uita & incolumitate tua.

Et uenit Bethſaidan, & adducunt illi cæcum, & obſecrãt eum ut illum tangeret. Et apprehenſa manu cæci, eduxit illum extra uicum, & cum expuiſſet in oculos illius impoſuiſſetq; illi manus, interrogabat illũ an q̃d uideret: et recepto uiſu, dicebat, Video hoĩes, quoniam uelut arbores cerno ambulantes. Deinde rurſum impoſuit manus ſuper oculos illius, & fecit ut uiſum reciperet. Et reſtitutus eſt, ac diſcernebat dilucide omnes. Et ablegauit illum domum ſuam, dicens, Neq; in uicum ingrediaris, neq; dixeris cuiquam in uico.

Dominus illuminat cæcos.

Facto illuſtri declarat dominus Ieſus, ſe illum eſſe qui & corporis & animæ cæcitatem tollat, oculosq; reſtituat. Tangit & expuit in oculos cæci, ut omnibus appareat nihil ipſum commune habere cum magis, neque ſe conceptis ſanare uerbis, ſed uirtute diuina, quæ tametſi hominem aſſumpſerit, nihil tamen amiſerit uirium, imò contulerit plurimum carni aſſumptæ. Theophylactus, Expuit, inquit, in oculos cæci, & manus imponit, ut diſcamus nos quod ſermo diuinus efficax ſit. Manus enim operationis ſymbolum eſt, ſputum autem ſermonis, eò quod ſit ex ore. Eduxit autem extra uicum, ut doceret nos fugere conſortium incredulorum. Liquet enim ex 11. cap. Matthæi, Bethſaidan incredulitate rebellioneq; infamem fuiſſe. Ergo oculos perpetuò figere in incredulorum & multitudinis exemplum, efficit ne aliquando aperiantur. Nam qui ideo ſe non peccare putat, quod ea facit quæ uulgo fieri uidet, de eius actum eſt ſalute. Cæterũ ubi in oculos cæci expuiſſet dominus, interrogat hominẽ, ecquid uideat? Hic cæcus oculos hactenus clauſos attollit, ac dicit, Video quidẽ homines, ſed liquide nõ poſſum iudicare de illis: obſcurius enim cerno, perinde atq; ſolẽt qui eminus cernunt arbores, magnitudinẽ illarũ utcũq; uidentes, ſed de forma & ſpecie nõ ualentes iudicare. Et fortè uiderat hic cæcus, priuſq; oculorũ aciẽ amiſerat. Rurſus ergo admouit manum oculis cæci dominus, ut plene ipſum reſtitueret. Mox autem ille clare uidit omnia. Perfectiſſima enim ſunt opera domini. Theophylactus, Quia cæcus ille, ait, perfectã fidẽ non habuit, ideo nõ ſtatim ipſum reſtituit, ſed ſenſim. Pro fidei enim magnitudine & ſanitas datur. Ac reuera ut fides augmenta habet creſcitq;, ita per interualla nobiſcum agit dominus. Paraphraſtes, Ieſus, inquit, qui nutu poterat ſanare quemlibet cæcum, non ſtatim reſtituit hominem, ut diſcipulis ſuis formam exhiberet, quantopere laborandum ſit, priuſquam ad ueri cognitionem queant adduci; quiin errore iam inueterauerunt. Qualis erat gentium cæcitas, quæ tot ſæculis ſimulachrorum

Fides augmenta habet.

rum cultum pro magna pietate fuerant amplexæ: qualis erat Iudæorum, qui ſuperſtitionem à maioribus acceptam, cui tot annos aſſueuerãt, non poterant relinquere, &c. Illud autem in primis obſeruandum uidetur, quod adducentes cæcum, obſecrant dominum. Pijs enim aſſiduisq; precibus in omnibus uotis noſtris fatigandus eſt dominus. Poſtremo prohibet dominus cæco, ne ingrediatur uicum, neq; cuiquã dicat quicquam de beneficio accepto. Vel ut doceat nos modeſtiam, & ne inde efferamur ſi aliquando uiſum recepimus. Vel ut doceret deo nihil cõmertij eſſe cum perfidis & incredulis, ideoq; caueremus nobis ab incredulorum conſortio.

Et egreſſus eſt Ieſus & diſcipuli illius in uicos Cæſareæ Philippi, & in uia interrogabat diſcipulos ſuos, dicens illis, Quem me dicunt homines eſſe? Illi uero reſponderunt, Ioannem Baptiſtam, & alij Heliam, alij rurſus unum de numero prophetarum. Et ipſe dicit illis, At uos quem me dicitis eſſe? Reſpondens autem Petrus, dicit illi, Tu es ille Chriſtus. Et interminatus eſt eis, ne cui dicerent de ſe.

Subiungitur planius exemplum ueræ uiſionis & confeſſionis fidei, nempe quid ſancti uideant oculis illis animi, & quid confiteantur, id nimirum quod Petrus. Hanc hiſtoriam copioſe tractaui apud Matth. ex cuius 16. cap. requiras licet. *Quid uideant illuminati.*

Et cœpit docere eos, oportere filiũ hominis multa pati, & reprobari à ſenioribus ſummisq; ſacerdotibus ac ſcribis, & occidi, & poſt tres dies reſurgere. Et aperte ſermonem loquebatur. Et apprehẽdit illum Petrus, cœpitq; increpare eum. At ille conuerſus & intuitus diſcipulos ſuos increpauit Petrum, dicens, Abi poſt me ſathana: quoniam non ſapis quæ dei ſunt, ſed quæ ſunt hominum.

Aperit ſuis plenius dominus qua ratione parta ſit ſalus hominibus, per mortem & reſurrectionem Chriſti, ſi uidelicet uera fide credamus illa pro nobis facta ad uitam, nobis per gratiam dei æternam cedere. Nam filius dei traditus in mortem pro nobis, uiuificat credentes: iuxta illud, Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi uita. Eraſmus nõ infeliciter triduum poſt quod reſurrexit Chriſtus explicans, Nodus, inquit, hic bifariam explicari poteſt, Primum ſi tertiũ diem numeremus non à morte ſaluatoris, ſed à tota paſſione, quæ cœpit pridie paraſceues, cum iam iniretur conſilium de cõprehendendo Ieſu, cum uenderetur, cum tæderet ac mœreret. Siquidem paſſionis ſummã uidetur & ipſe Marcus ſuis uerbis complecti. Et cœpit, inquit, docere eos quod oporteret filium hominis multa pati & reprobari à ſenioribus ſummisq; ſacerdotibus ac ſcribis, & occidi, & poſt tres dies reſurgere. Sic enim recenſuit ut poſt tres dies ad totum ſermonem qui præceſſit referri poſſit, non tantũ ad id quod erat poſtremum, occidi: quemadmodum proximo capite recenſuit, Filius hominis traditur in manus hominum & occidẽt eum, & occiſus tertio die reſurget. Hic quoniam triduum numerat ab occiſione, tertio die dixit, non poſt tertium diem. Alter modus eſt, ſi per ſynekdocham accipiamus factum poſt tres dies quod factum ſit poſt tertium diem exortum. Quemadmodum & uulgo loquimur, Ab eo die cœpit odiſſe me, cum eodem die cœperit odiſſe. Et poſt eum diem deſijt amare, cum eodem die deſierit. Hęc ille, Marcus uero, Aperte, inquit, diſerte & ſignificanter nunc differebat de morte & reſurrectione ſua, de quibus aliquoties ſubmonuerat paulò obſcurius. Ac conueniebat ea, in quibus eſt ſalutis noſtræ ancora tutiſſima ſacerrimaq;, quàm ſignificantiſſime explicari. Videtur autem indignum carni, ut patiatur moriaturq; dei filius, unde *De triduo quo dominus reſurrexit.*

Petrus audet dominum seducere à turba discipulorum, quasi rem magnam ipsi sugge
sturus. Hortatur autem ne se mortalibus & impijs hominibus præbeat illudendũ atq;
crucifigendum: imò increpat illum, quasi rem filio dei indignissimam proposuerit. Cæ
terum dominus Petrum redarguit acriter, & ostendit illum non recte sapere. De qua
re uide quæ dedimus in cap. Matth. 16.

Et cum ad se uocasset turbam unà cum discipulis suis, dixit illis, Qui=
cunq; uult sequi me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequa
tur me. Nam quisquis uoluerit animam suam seruare, perdet eam: quis=
quis autem perdiderit animam suam mea caussa & euangelij, hic seruabit
eam. Quid enim profuerit homini, si lucratus fuerit totum mundum, &
animæ suæ iacturam fecerit? Aut quid daturus est homo quo repensset
animam suam? Quemcunq; enim puduerit mei ac meorum sermonum
in natione hac adultera & peccatrice, pudebit illius et filium hominis, ubi
uenerit in gloria patris sui cum angelis sanctis.

De abnegatione & mortificatione carnis.

Doctrinam fidei & redemptionis sequitur doctrina de abnegatione sui & mortifi=
catione carnis, quæ sanè pertinet ad omnes, ideo cum discipulis ipsam quoq; ad se tur=
bam uocat. Exposui hunc locum apud Matth. in cap. 16. Præterea requirit dominus
abs quouis nostrûm liberam, apertam, ingenuamúe confessionem, non modo Chri=
sti, sed & euangelij uniuersæq; doctrinæ Christianæ. His addit præmium & pœnam,
quo excitet ad studium pietatis ualidius. De eo lege quæ dedi in cap. 10. Matth. Miri=
ficam uero & efficacem antithesim habet, quod saluator nationi adulteræ & peccatri=
ci opponit ipsum hominis filium & sanctos dei angelos. Miser certe sit oportet qui his
illos prætulerit, non modo turpes homines, sed fœditatem ipsam. Vtinam uero hoc al
tissime cordibus infixum, homines abstractos ab immundi mundi studijs, tenacissime
sancto agglutinet deo.

CAP. IX.

Et dicebat illis, Amen dico uobis, sunt quidam inter eos qui hic stant,
qui non gustabunt mortem, donec uiderint regnum dei uenisse cum po
tentia. Ac post sex dies assumit Iesus Petrum ac Iacobum & Ioannem, &
subducit eos in montem excelsum seorsum solos, & transformatus fuit
coram illis: & uestimenta illius facta sunt splendida, candida ualde, ueluti
nix, quàm candida facere non potest fullo super terram. Et cõspectus est
illis Helias cum Mose, colloquebãturq; cum Iesu. Et respondens Petrus
dicit Iesu, Rabbi, bonum est nos hic esse: & faciamus tabernacula tria, tibi
unum, & Mosi unum, & Heliæ unum. Non enim nouerat quid loquere
tur: erant enim expauefacti. Et facta est nubes quæ obumbrauit illos. Et
uenit uox è nube, dicens, Hic est filius meus dilectus: ipsum audite. Et re=
pente cum circumspexissent, non amplius uiderunt quenquã, sed solum
Iesum secum.

Specimen gloriæ futuræ.

Quia meminerat abnegationis sui, & mortificationis carnis, subdit nunc specimẽ
futuræ gloriæ, paratæ illis qui præsentia contemnunt, mundum abnegant, & sectan=
tur æterna. Historiam multis exposui apud Matth. in cap. 17. Splendida, candida ual=
de, dixit pro eo quod est, Ex insigni candore fuerunt relucentia. Mox enim additur
similitudo sumpta à niue & fullonibus.

Porrò

Porrò cum deſcenderent de monte, interdixit illis ne cui narrarent quæ uiderãt, niſi cum filius hominis à mortuis reſurrexiſſet. Acuerbum hocretinuerunt, inter ſe diſputantes quid eſſet à mortuis reſurgere.

Non potuiſſent recte & plene populis ante tempus myſterium gloriæ Chriſti expo nere diſcipuli: prohibentur ergo donec per ſpiritum ſanctũ pleniſſime informati, ab ſolute de illa dicere poſſint. Præterea cum mox ſequuta ſit humiliatio crucis, quem re tuliſſent prædicationis ſuæ de transfiguratione domini fructum, niſi quod ſe expoſuiſ ſent ludibrio impiorum? Diſputant autem de eo quid ſit à mortuis reſurgere? Cum enim nondum plene intelligerent moriturum dominum, certe nouum non erat quod neſciũt quid ſit reſurgere. Iam & ſpiritus domini plene docet nos reſurrectionis Chri ſti noſtræq; myſterium. Vnde hic unice nobis pro inſtructione erit implorandus. Nõ reiſciuntur tamen à domino diſcipuli, quia in præcipuo hoc articulo hærent. Id quod conſolatur nos. Cæterum non erat error illorum coniunctus cum malitia.

Et interrogabant illum, dicentes, Scribæ dicunt Heliam oportere ue nire prius. Ille uero reſpondens, dixit illis, Helias quidẽ ubi uenerit prius reſtituit omnia. Et quomodo ſcriptum eſt de filio hominis, ut multa pa tiatur & contemnatur. Verum dico uobis Heliam ueniſſe: & fecerunt illi quæcunq; uoluerunt, ſicut ſcriptum erat de illo.

De quæſtione hac diſcipulorum diſputatum eſt à nobis apud Matth. in cap. 17. un de ſi libet requiras. Quia tamen defectiua, atque ideo obſcurior paulò uidetur eſſe re ſponſio domini, paucis reddemus ſenſum. Verũ eſt, inquit, quod uulgo iactatur uen turum Heliam ante Meſſiam & horribilem domini diem. Verum eſt quod Helias re ſtituit omnia priuſquam aduenìat dominus. Verum eſt & illud quod ſcripturæ refe runt de Meſſia fore ut contemnatur, & crucifixus moriatur. Ergo nihil erratur in his à ſcribis. Certa & conſtans eſt oraculorum fides. Vt autem creditis ſcripturæ uatici nanti de Helia, ita credere oportet eidem teſtificanti & de morte & ignominia Chriſti ſiue Meſſiæ. Cæterum in illo error eſt, quod Helias uenit orbi à deo exhibitus, ac ſcri bæ etiamnum alium expectant. Ioannes Baptiſta ille Helias eſt, meus præambulo qui ſum uerus Meſſias. Atqui oppreſſerunt & occiderunt illum, neq; pro Helia agnoue runt: ita & me, ſicut prędixit ſcriptura, illuſum et contemptũ crucifigẽtes abnegabũt, &c. Loquutioni, Fecerũt illi quæcunq; uoluerũt, reſpondet illud Germanicũ, Sy ſind mit jm vmgangen/ wie ſy nun gwöllen habẽd/ nach jrem luſt vnd gfallen. Proinde, Sicut ſcri ptũ erat de illo, magis ad Chriſtum retulerim, q̃ ad Ioannẽ, cui fecerũt quidẽ ſicuti uo luerunt: ſed ſimili modo tractarunt & Ieſum. Si de Ioanne expoſueris poſtremam ſen tentiã, pete ſenſum ex typo. Helias enim licet nõ ſit cæſus, graui tamẽ perſequutione eſt preſſus, & contumelijs infandis adobrutus. Prætulit autem typum Baptiſtæ.

Helias & Meſſias cæſi à Iudæis.

Et cum ueniſſet ad diſcipulos, uidet turbam multam circum illos, & ſcribas diſputãtes cum eis. Et protinus uniuerſa turba, cum uidiſſet eum obſtupuit, & occurrentes ſalutauerũt eum. Et interrogauit ſcribas, Quid diſputatis inter uos? Et reſpondens unus è turba dixit, Præceptor, addu xi filium meum ad te, habentem ſpiritum mutum, & quandocunq; eum corripuerit, lacerat eum & ſpumat, ac ſtridet dentibus ſuis & areſcit: & di xi diſcipulis tuis, ut illum eijcerent, & non potuerunt.

Rurſus opere præclaro oſtendit ſe eſſe Meſſiam uerum, qui uenerit in hunc mun dum liberaturus nos à poteſtate ſathanica. Docet autem fide opus eſſe ut regnet in no

Chriſtus Meſſias eſt.

bis Christus. Disceptant pharisæi cum discipulis, absente domino, præsente uix hisce reaudent. Populus quoq; obstupescit & occurrit aduenienti domino salutatum. Tanta erat eius authoritas, tanta reuerẽtia. Multis describitur morbus pueri, in hoc, ut potentia malitiaq; diaboli eluceſcat, uexantis eos miserè qui semel ipsi sese dediderunt. Rursus inclarescit ex ijs & Christi uirtus, superantis uerbo diaboli potestatem & sæuitiam. Arescit, inquit, id est uexatione continua contabescit in diem. Zeert vß vnd verdirbt. Reliqua pete ex 17. cap. Matth.

At ille respondens ei, dicit, O natio incredula, quousq; apud uos ero? quousq; patiar uos? Adducite illum ad me. Et adduxerunt illum ad eum. Et uiso illo continuo spiritus discerpebat eum: & prolapsus in terrã uoluebatur spumans. Et interrogauit patrem illius, Quantum temporis est quod hoc accidit ei? At ille dixit, A puero, & frequẽter illum & in ignem abiecit & in aquas quo perderet eum. Age, si quid potes, subueni nobis, intime misertus nostri.

Etiam hic locus expositus est apud Matth. in cap. 17. Quod in cõspectu domini miserando spectaculo, nec sine uulgi tremore corripitur puer & raptatur à sathana, rursus insidias diaboli retegit & commendat nobis uirtutem Christi insuperabilem. Nemo autem desperet in periculis. Quo crudelius sæuit sathan, morbus, aut malum, hoc breuius compescetur. Interim assidue implorandum est diuinum auxilium. Et quoniam de nostris meritis nobis gloriari non licet, ad misericordiam eius accurrendum uidetur: sicut hic quoq; fieri uidemus à patre pueri.

Iesus autem dixit ei, Illud si potes credere. Omnia possibilia credenti. Et cõfestim exclamans pater pueri cum lachrymis, dixit, Credo domine, succurre incredulitati meæ.

Solus Christus seruat, sed per fidem.

Palàm nunc exigit fidẽ dominus non à patre duntaxat pueri, sed à singulis nobis in negotijs salutis & diuinis. Bene uult deus generi humano, sed interim adijcit, Illud si potes credere. Vult ergo seruare, sed per fidem. Ac quanta sit uirtus fidei ostendit adiecta sententia, Omnia possibilia credenti. Fides uero quoniam ex auditu est, auditus autem per uerbum Christi, Rom. 10. omnia intelligit & exponit fidelis non absolute, sed quæ uerbo dei comprehensa, quæ promissa sunt, & cum uoluntate, iustitia, ueritateq; dei non pugnant. Pater pueri fatetur se credere, sed quia sentit animi sui imbecillitatem, quæ obstabat quo minus tam solide crederet, quàm credendum intelligebat, deprecatur culpam, poscens humiliter fidei augmentum & Christi domini misericordiam. Ac sentit quidem auxilium domini præsentissimum. Id quod nos ualde consolatur. Quis enim nostrûm non sentit imbecillitatem illam fidei? Sunt sanè non pauci, qui queruntur se quidem credere promissis dei, sed sentire interim multam animi frigiditatem, adeoq; incredulitatem in credulitate. Hi ergo ne despondeant animum, clament etiam cum lachrymis serio assidue & ex pectore, Credo domine, succurre incredulitati meæ. Imperfectissimum esse iudico, qui sibi putat deesse nihil: perfectissimum, qui sibi nihil fidit, totum autem sese conijcit in clementiam & misericordiam dei, suam culpam agnoscens, dei misericordiam implorans.

Cum uidisset autem Iesus turbam simul accurrere, increpauit spiritũ immundum, dicens illi, Spiritus mute & surde, ego tibi impero, exi abisto, & ne posthac ingrediaris in illum. Et cum clamasset, multumq; discerpsisset eum, exiuit. Et euasit similis mortuo, adeò ut multi dicerent,

mortuus

mortuus est. At Iesus præhensa manu illius, erexit eum, & surrexit.

Irascitur bonus & hominum amans dominus immũdo spiritui, hominis miseretur, atq; imperio suo eijcit spiritum immundum, nec tantum eijcit, uerumetiam præcludit ei uiam, & ne unquam posthac redeat, præcipit. Domini ergo solius uirtute eijcitur Sathanas, & ne hominem occupet, efficit, imò ut expulsus non redeat, tribuit. Videtur mortuo similis liberatus à dæmonio. Dolet enim carni renunciare mundo & diabolo. Neq; cedit hic facile nisi ijs nocuerit à quibus intelligit se pessundandũ. Vbi uero manum suam nobis porrexerit dominus, surgimus, uel inuitis ipsis inferorum portis. *Christi uirtute eijcitur Sathanas.*

Et cum esset ingressus domum discipuli illius, interrogabant eum seorsum, Cur nos nõ potuimus eijcere illum? Et dixit illis, Hoc genus nulla re potest eijci, nisi per precationem & ieiunium.

Etiam hunc locum enarrauimus in Comment. nostris ad Matth. in cap. 17. Commendat locus nobis temperantiam & assiduum indefessumq; precandi studiũ. Quod non tam audire & recte intelligere, quàm rebus ipsis præstare conuenit.

Et illinc digressi iter fecerunt per Galilæam, nec uolebat ut quisquam sciret. Docebat enim discipulos suos, & dicebat illis, Filius hominis traditur in manus hominum, & occident eum, & occisus, tertio die resurget. Et illi non intelligebant quod dixerat, & timebant eum interrogare.

Proficiscebatur dominus Hierosolymam ad redimendum uictima corporis sui mundum à peccato, morte & inferis. Vetus interpres legit, Prætergrediebatur Galilæam: id quod nemo intelligat quasi declinarit Galilæã. Sentit enim Marcus illos clam aut celeriter & in transcursu uelutq; obiter fecisse iter per Galilæam, ita ut nec aperiret se usquam, nec commoraretur. Id quod Erasmus annotauit. Volebat ergo discessum suum latere Galilæos, frequentissimos suos auditores, ne impediretur accedentium semperq; aliquid postulantium frequentia. Licet enim pro ingenio naturæ humanæ mortem horreret, tanta tamen dilectione erga genus mortalium ardebat, ut dilectio desiderium rei alioqui tristissimæ inderet, ut iam magna cum delectatione ad mortis supplicium acceleraret, licet interim trepidaret ceu homo uerus. Frequenter autem passionis & resurrectionis suæ mysterium suis inculcat. Hoc enim redempti sumus. Vnde conuenit eius cognitionem prædicationemq; decantatam esse uulgatissimamq;. Certe apostoli non aliud commendarunt æque ecclesijs: ac apostolus Paulus diserte fatetur, nihil se scire aliud, quàm Iesum Christũ, & hunc crucifixum. Quod illi non intelligunt prædicationem longe manifestissimam, inde erat, quod de Messia & regno nescio quam carnalem conceperant in mentibus opinionem, & quod pro crassitie sua non cupiebant intelligere, quomodo occisus resurgere posset. Et certe nisi renascamur cœlitus, difficulter intelligimus passionis & resurrectionis mysterium. Cætera pete ex 17. cap. Matth. Non audebant interrogare, quia hærebat adhuc animo Petri increpatio. Metuebant ne & ipsi exciperentur acerbius. Theophy. Vbiq;, inquit, miraculorum operationibus interserit sermonem de passione, ut ne putent ipsum propter impotentiam pati. *Volẽs moritur dominus.*

Et uenit Capernaũ, & cum uenisset in ædes interrogabat illos, Quid in itinere inter uos disputabatis? At illi silebant. Nam inter se disputauerant in uia, quis esset maximus. Et cum consedisset accersiuit duodecim, & dicit illis, Si quis uult primus esse, erit omnium postremus & omnium

miniſter. Et apprehenſum puellum ſtatuit in medio illorum, & cum cepiſſet illum in ulnas ſuas, dixit illis, Quiſquis unum ex talibus puellis receperit nomine meo, me recipit: & quicunq; me recipit, non me recipit, ſed eum qui miſit me.

Ambitio.

Ambitionis malum plurimum impedit & obturbat pietatis negotium, tollit ergo illud in præſenti dominus, & inſerit humilitatem atq; modeſtiam. Cum rogarentur diſcipuli de argumento ſiue materia contentionis, pudore ſubticeſcebant. Nam & doctrina domini & exemplum, adde & propria ipſorum conſcientia ſuggerebat ambitionis affectum in diſcipulis Chriſti peccatum eſſe grande. Nihilominus contenderant de primatu. Adeò uerum eſt quod dicitur & apoſtolos fuiſſe homines. Cæterum inſtituti uerbis & facto Chriſti, deniq; ſpiritu Chriſti, reſipiſcunt & faſtum deponunt. Locus hic expoſitus eſt apud Matth. in cap. 18. Paraphraſtes pulchre domini uerba explicans, Aequum eſt mihi, inquit, chariſſimos eſſe qui mei ſunt ſimillimi. Non æſtimatur hic dignitas ex opibus, cenſu, potentia, faſtu, & uiolentia. Nam qui tales ſunt, ut ſunt regibus ethnicis ſimillimi, ita plurimi ſunt apud eos pretij. Quemadmodum reges in primatibus ſuis ſeſe uel honorari credunt uel lædi, ita ego in regno euangelico in huiuſmodi paruulis, quos ob innocentiam, ſimplicitatem, modeſtiam contemnit mundus, me uel honorari credo uel cõtumelia affici. Si quid nouiſtis me ſubmiſſius, illum pro ſummate ducite in regno cœlorum. Quod ſi neminẽ inuenietis, me primatem habete. Et ut quiſq; proxime acceſſerit contemptu rerum earum, quas in principum aulis affectant magnates, ita ſummatem eſſe iudicãte. Et reliqua. Hæc ſi expenderent qui hodie pro primatu ſummi pontificis (quem Papam faciunt, in cõtumeliam ueri pontificis ſummi Chriſti) tanquam pro focis & aris certant, non poſſet eos non pudere impiæ diſputationis: nunc ex diſputationibus ſuis quid quærant, & quales ſint domi apud ſe in animis ſuis, declarant. Talis hactenus non inuentus eſt qui humilitate & modeſtia æquet ipſum archetypum, manet ergo hic primas in eccleſia. In deligendis miniſtris eccleſiarum, omnium humillimi modeſtiſſimiq; ordinandi ſunt, qui uidelicet proxime accedunt ad archetypi humilitatem. Atqui tales nullum ſibi uſurpabunt primatum, cum ſciant ſe uocatos eſſe ad miniſterium nõ ad dominium. Verum hæc ægre perſuadeas hodie noſtris primoribus, qui ethnicos principes faſtu & pompa nõ dico æquant, ſed ſuperant etiam, ſuperbiaq;, ambitione & immodeſtia ſua totum turbant terræ orbem. Hiſtoriæ enim palàm teſtantur quàm multa & quàm cruenta bella exorta ſint ex Papæ & epiſcoporum ambitione atque ſuperbia intolerabili & ſathanica. De quibus aliâs & ab alijs dictum eſt.

De primatu ſummi pontificis.

Reſpondit autem ei Ioannes, dicens, Præceptor uidimus quendam nomine tuo eijcere dæmonia, nec ſequitur nos, & prohibuimus illum, propterea quod non ſequitur nos. At Ieſus ait, Ne prohibeatis illum. Nullus enim eſt, qui ſi ædiderit uirtutem per nomen meum, poſſit cito male loqui de me. Qui enim non eſt aduerſus nos, pro nobis eſt. Quiſquis enim ad bibendum dederit uobis poculum ãquæ, nomine meo, quod ſitis Chriſti, amen dico uobis, nequaquã perditurus eſt mercedem ſuam.

Nullum reijciendum mox qui Chriſti nomen confitetur.

Cum tanti faceret puellos dominus, qui tamen iuſtitiã nondũ faciunt, cum deniq; dixiſſet, Qui puellum recipit, me quoq; recipit, nec me ſolũ, uerũetiam ipſum patrem meũ, dubitat Ioannes an promiſcue omnes recipiendi ſint qui quouis modo adiungunt ſe Chri-

se Christo: & quia cuidam prohibuerat per nomen Christi facere miracula, quod non esset de consortio & familia Christi, mouet quæstionẽ, & ait, Magister, cum emisisses nos ad prædicandum regnum dei, uidimus quendã in nomine tuo eijcientem dæmonia: & quoniam non erat nec de numero duodecim, nec de numero 70. discipulorum, sed planè alienus à nostro consortio, prohibuimus eum: modo autem cum audimus quæ nos doces de recipiendis puellis, dubitamus an consulte fecerimus. His paucis respondet dominus, Nullum reijciendum, nulliq; prohibendum, ne quid Christi nomine tentet aut faciat, qui aliquam Christi cognitionem habet, & Christum cõfitetur. Est sanè ecclesia sanctorum communio, uerum sancti non protinus damnant aut reijciunt candidatos & infirmos in fide, qui uidelicet iam incipiunt Christũ quærere, aut initium iam aliquod religionis ueræ consequuti sunt, in multis tamen hærent adhuc, & præuaricãtur. Quin potius annituntur summa opum ui, ne nouitios absterreant, sed magis proliciant & prouehant ad perfectiora. Nouatiani & Cathari quondam in suam ecclesiam non recipiebant nisi (sua opinione) puriſſimos: peccatores, imò & pœnitentes non recipiebant, ne contaminaretur sanctorum Nouatianorum consortium puriſſimum. Scilicet. Sed & Anabaptistæ nostri uel hodie ita differũt de ecclesia, ut citius Vtopiam inuenias, & constituas Platonicam rempub. quàm talem ecclesiam, qualem isti imaginantur. Quid quod ex euangelicis non paucos inuenias, qui Principes & urbes aliquot euangelio quidem fauentes egregie, sed uita non respondentes per omnia, reijciunt atq; damnant tanquam dei hostes. Verum dominus, Qui non est aduersus nos, inquit, pro nobis est. Qui non obsistit euangelio, & cursum eius propter suos affectus remoratur aut interrumpit impeditq;, sed magis fauet euangelio, promouet eius cursum, & sustinet se doceri & increpari ex euangelio, non pro hoste habendus est, sed pro amico. Interim uero nemo iubet te imperfectioribus adulari aut palpare, assentandoq; efficere ut semper infirmi maneant, nunquam ad perfectiora aspirẽt. Docemur ne quem nimia nostra seueritate adigamus ad desperationem, & ne ex amicis faciamus hostes. Id quod morosuli & rigidi quidam sanctuli solent. Dicit sanè alibi dominus, Qui non est mecum, contra me est. Cæterum non pugnat ea sententia cum hac, Qui non est aduersus nos pro nobis est. Illic enim reuera de blasphematoribus & ueritatis osoribus loquitur, quos ne hac quidem cõmendat uel tuetur. Adijcit sententiam quæ superiora illustret, Quisquis ad bibendum dederit, &c. Docet autem beneficium quantumuis exile, præstitum tamen in nomine Christi, adeò non contemni ab ipso deo, ut munificẽtissime illud remuneret. Inde haud dubie colligi uult, bene & amplifice iudicandum esse de factis illorum, qui licet in multis Christum non exprimant, aliquid tamen propter Christum & faciunt & patiuntur. Proinde error est uelle euangelij studiosos abijcere prorsus atq; abdicare, quod non per omnia absoluti sunt. Neq; enim loco tempori aut personis alliganda est gratia Christi. Optat Moses ut non solus ipse, sed multò plures, imò omnes prophetent, Numeri 11. S. Paulus, Attamen quouis modo, inquit, siue per prætextum, siue per ueritatem, Christus modo annuncietur. Frustra uero metuunt multi aliorum gloria suam nimis concupitam obscurari. Paraphrastes hunc euangelij locum ex integro sic enarrat, Iesus, ait, respondit, Istiusmodi nolite prohibere qui quocunq; modo conducunt euangelio propagando. Non enim oportet esse fastidiosos in recipiendis his qui student rem euangelicam qualicunq; studio prouehere. Non est spectandum an sequatur nos, sed an prædicet nomen nostrũ. Quod si inuocato nomine meo eijcit dæmonia, non facile potest de me male loqui. Quod si faciat, res ipsa redarguet eum. Dicetur enim illi, Qua fronte obtrectas nomini, quod in edendis miraculis expertus es potens & efficax? Nolite facile suspicari eũ malo animo facere, qui rem piam facit. Qui non repugnat euangelio, hoc ipso iuuat

Qui nõ est mecum, contra me est.

euangelium, quod aduersas partes non adiuuat. Quisquis non aduersatur nobis, pro nobis facit. Noua res per omnem occasionẽ est promouenda, quàm synceris animis, uestra nihil refert, modo quocunq; pacto prosit negotio quod agitis. Neq; enim solum hi mercedem ob euangelij negotiũ prouectum ferent, qui in nomine meo dæmonia eiecerint, uerumetiam qui pro suis facultatibus uel minimum aliquod momentũ attulerint, &c. Sententia de poculo aquæ exhibito explicata est & Matth. cap. 10. Ibidem dixi & de mercede & merito.

Et quicunq; offenderit unum ex pusillis, qui confidunt in me, melius foret illi si circũdaretur lapis molaris ceruici eius, & abijceretur in mare.

Etiam hunc locum exposui apud Matthæum in cap. 18. Videri poterat dominus & minis absterrere uoluisse, ne nimia seueritate morositateq; infirmos repellamus, ut despondentes animum euangelio prorsus renuncient, &c.

Quod si tibi offensioni fuerit manus tua, amputa illam. Melius est tibi mancum ad uitam ingredi, quàm duas manus habentem abire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi uermis illorum non moritur, & ignis non extinguitur. Et si pes tuus tibi offensioni fuerit, amputa illum. Melius est tibi ut ingrediaris ad uitam claudus, quàm ut duos pedes habens, mittaris in gehennam, in ignem inextinguibilẽ, ubi uermis illorum non moritur, & ignis non extinguitur. Et si oculus tuus tibi offensioni est, erue illum. Melius est tibi ut luscus introeas in regnum dei, quàm ut duos oculos habens, mittaris in gehennam ignis, ubi uermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

Modus quo caueri possit offensio.

Ostendit iam dominus uiam & modum per quem possit caueri offensio. Expositionem eius pete ex 18. cap. Matth. De Gehenna & igne inextinguibili, & uerme semper arrodente, dictum est à nobis apud eundem Matth. in cap. 10. præcipue uero in 12. lib. Commentariorum nostrorum in Matthæum, ubi de morte æterna ac condemnatione disputo. Tertio autem eadem propè uerba de pœna inferni æterna repetit, non absq; ratione proculdubio. Sic enim uult confirmare & afferere pœnas inferni sempiternas esse, non temporarias, quemadmodum nonnulli olim ex seipsis contra euangelium finxerunt. Non defuissent uerba domino si ea ipsi fuisset sentẽtia, quam fingunt isti. Meminit & Isaias ignis huius & uermis semper arrodentis in cap. 30. & 66. Corrodunt & corrumpunt alioqui uermes ligna & carnes. Sed metaphora transfertur hic à corporalibus ad spirituales substantias, animas scilicet. Quod resuscitata corpora attinet, luent & ipsa interitum & supplicia nunquam finienda: quæ qualia sint futura, noluit iustus dominus, qui similitudinibus & figuratis loquutionibus id nobis adumbrauit, in quibus pij semper atrociora & grauiora concipiunt. In infinitum enim temporalia præcellunt æterna, ita ut similitudines rerum terrenarum non plene assequantur supplicia perpetua.

Vnusquisq; enim igne salietur, & unaquæq; uictima sale salietur. Bona res est sal. Cæterum si sal insulsus fuerit, quo nam ipsum cõdietis? Habete in uobisipsis salem, & pacem habete inter uos inuicem.

Quàm utilis et necessaria correctio in ecclesia.

Pertinent & hæc ad superiora, & docent quàm utilis & necessaria sit correctio ecclesiæ. Obscurior est oratio propter allegoriam, qua cõdita est & ornatur, sed alijs collata scripturis amœna & explicabilis. Ignis inter alia in scripturis significat aduersitates, exercitationem & correctionem. Metaphora petitur à chirurgis, quibus moris est putre-

putrescentem aut redundantem carnem ustione curare, consumere, & uiuas atq; recentes medicinis nutrire. Cæterum quia sal à putredine & corruptione conseruat, salire positum uidetur pro seruare: ut sit sensus, Vnusquisq; enim correctione & mortificatione carnis à putredine corruptioneq; seruatur uindicaturq;. Est em ratio quædã cur dixerit præstabilius esse si amputetur manus aut pes, eruaturq; oculus, hoc est si exerceatur correctio, cõpescantur affectus, rescindãturq; subinde scelera, quàm si his quidẽ integris fruticãtibus & exultantibus tandem æternũ subeundũ sit supplicium. Nunc enim subiungitur, Vnusquisq; enim igne, id est aduersitate correctionéue, ueluti salitur & cõseruatur. Respondet hoc Germanico nostro prouerbio, was seert/das nert. Adijcitur & alia sentẽtia quę hanc illustret & ornet, Et unaquęq; uictima sale salietur. Id q̃d sumptũ est ex 2. cap. Leuit. & habet collationẽ ferme talem, Quemadmodũ ingrata est deo uictima quæ offertur citra salem: ita non potest nõ insipidus esse & deo improbari homo, qui exors disciplinæ correctionisq;, pro ingenio carnis suæ uiuit. Nam in multis præuaricantur etiã sancti, ut nisi sal aspergatur carni, & adhibeatur uexatio, crux, exercitatio et correctio, cõputrescat caro ipsorum & fœteant corã domino. Subiungit ergo paucis laudes & cõmoda imò & necessitatem salis siue correctionis. Bonũ, inquit, est sal. Correctio inquam & disciplina est ueluti thesaurus ecclesiæ. Nam bonũ ponitur pro optimo & præstantissimo. Congruit cũ hoc domini præconio, quod à doctis iactatũ legimus, Humano corpori, nihil esse utilius sale & sole. Plura pete de hac re ex Matt. ca. 5. Et hæc omnia applica ad disciplinã. Hæc usq; adeo necessaria est hominibus in ecclesia, ut si insulsum sit hoc sal, id est, si frigeat disciplina, actũ sit de ornamento & condimento ecclesiæ. Vnde infert tandem dominus, Habete in uobis ipsis salem &c. Quod perinde est ac si dixisset, Si uobis cordi & curę est pax publica & ecclesiastica trãquillitas, aduigilate ut uigeat inter uos disciplina & correctio. Nã ubi nulla est disciplina & correctio, ibi iurgia, lites, cõtumeliæ, iniuriæ, petulantia, dissidia & omniũ uirtutum corruptela. Memorabilis est hic Marci locus, dignus qui ab omnibus uiris ecclesiasticis diligẽter obseruet. Sal ecclesię sunt episcopi ministriq; ecclesiarũ. Hi si fuerint socordes, muti, negligentes, putredo occupat membra sensim, & perit tandem corpus ecclesiasticum: si uero asperserint sal membris computrescentibus, seruabunt ipsa.

Paraphrastes hunc Marci locũ copiosissime enarrãs, inter alia, Quemadmodũ, inquit, nulla uictima iuxta Mosi præscriptũ legitima est, nisi quæ uel igni salitur, uel sale, uel utroq;: ita quisquis euangelicã philosophiã uolet profiteri, necesse est ut igni purgetur ab omnibus humanis affectibus, & sale condiatur ne possit corrumpi malorũ contagio. Diluta & insipida est huius mundi sapientia, nec seruat hominẽ ab huius mundi corruptione, nec alios seruare potest. Atqui utrunq; prę stare oportet doctorem euangelicũ, ut & ipse sit incorruptus, et alijs eximat corruptelã. Non præstat hoc philosophorũ sapientia, nõ pharisæorum doctrina, sed sola philosophia euangelica, quæ ueritatis acrimonia emordet & consumit quicquid in homine est obnoxiũ corruptioni. Idẽ efficit ignis ille diuini spiritus, consumens ac repurgans ex animis oẽs carnales affectus, & quodammodo transformans in deũ quicquid corripuerit: ut qui prius affixi fuerant curis rerũ terrenarũ, nunc his contẽptis rapiantur ad cœlestia &c. Et mox, Proinde ut possitis & persequutionũ sæuitiam uincere, & omnes humanos affectus euangelij gratia contẽnere, ut possitis & uestræ saluti cõsulere & quãplurimos ad salutẽ adducere, habeat in se quisq; uestrũ salem euangelicũ, & habete pacẽ & amicitiã inter uos mutuã. Sal faciet incorruptos, concordia faciet robustos & potẽtes. Vbi dissidia sunt, ibi non est sal euangelicus. Vbi ambitionis morbus est, ibi nec pax est, nec sal. Et quę sequuntur. Ex his quod uidetur uerbis domini maxime consentaneum esse deligę-

COMMENTARIORVM IN
EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM
LIBER QVARTVS.

NVNC capitibus aliquot describit S. Marcus colloquia quædam selecta & illustria domini, de arduis & ad uitam sanctam recte cõponendam maximoperę necessarijs, instituta, unde scilicet sancti discant quomodo se in mundo pie gerant. Et initio quidem disputat de coniugio, quod contaminatum phari-saicis traditionibus restituens integritati natiuæ, repurgat. Deinde cum liberi sint coniugij fructus, se-cundo loco de illis agit, quid de ipsis quod salutem ipsorum attinet sentiamus, docens ipsos ad deum esse perducen-dos. Tertio loco ponitur insigne domini colloquium cum adolescente opulento: ex quo uaria discuntur: deum uide licet summum esse bonum: qua ad cœlos uia pateat: quanta sit humana miseria & stultitia. Docet enim quàm diffi culter diuites regnum dei ingrediantur. Post hæc differt de præmio uirtutum modestiaq; eorum qui præmia acci-piunt. Mox suis inculcat passionis suæ mysterium. Ibidem innotescit in petitione Iacobi & Ioannis, quàm insolescat caro. Nam hi duo petunt sibi dari à domino primatum in regno Christi: quos tamen sic compescit ut alijs quoq; exi-mat ambitionem & inuidiam, inserat autem modestiam & humilitatem. Sicut & in historia Bartimæi fidem incul cat. Post hæc urbem Hierosolymorum regia ingrediens pompa, ostendit se esse uerum & expectatum Messiam, re gem & sacerdotem populi dei. Iccirco pro officio suo eijcit è templo ementes & uendentes. Execratur mox ficum, in quo adumbrat tristia Hierosolymorum fata, atq; rursus docet fidem. Opponunt se illi pharisæi & primates Iu-dæorum, & interrogant qua authoritate id faciat quod facit? quos oppositа quæstione retundit ualidissime. Postre mo annunciat ipsis iudicium dei, excidium uidelicet & reiectionem, quam sua culpa nulla dei morositate sint passuri.

CAP. X. ET cum inde surrexisset, uenit in fines Iudææ, per regionem quę est ultra Iordanem, & conueniunt rursum turbæ ad illum, & si-cut consueuerat rursum docebat eas.

Docẽdi manus præstantissimũ.

Rursus commendat nobis S. Marcus docendi ministerium, in quo constat do-minum fuisse plus quàm assiduum. Vnde & illud denuo claret, ecclesiam non ha bere aliud præstantius salubriusq; prædicatione euangelica. Testatur enim Mar-cus domino perpetuam fuisse docendi consuetudinem. At illi optimarum rerum consuetudo fuit. Si quicquã fuisset melius in mundo, exercitasset & in illis se per-petuò. Commendatur etiam nobis diligentia & assiduitas populi sequentis do-minum & cupientis auide audire sermonem uitæ, ut & nostram excitent dili-gentiam.

Et adeuntes pharisæi, interrogauerunt eum, An liceret uiro uxorem repudiare? tentantes illum. At ille respõdens, dixit illis, Quid uobis præ cepit Moses? At illi dixerunt, Moses permisit libellum repudij scribere & repudiare. Et respondens Iesus dixit illis, Ad duritiam cordis uestri scripsit uobis præceptum istud: cæterum ab initio creationis masculum & fœminam fecit illos deus. Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & agglutinabitur uxori suæ: & erunt duo in carnem unam. Itaq; iam nõ sunt duo, sed una caro. Quod igitur deus copulauit, homo ne separet. Et in domo rursum discipuli illius eadem de re interrogaue-runt illum. Et dicit illis, Quicunq; repudiauerit uxorem suam & duxerit aliam, adulterium committit aduersus illam. Et si mulier repudiauerit ui-

rum

rum ſuum, & nupſerit alteri, adulterium committit.

Enarrauimus hunc S. Marci locum apud Matth. in cap. 19. Obſeruandum autem piis diligenter, quod uerbo legis, prophetarum & Chriſti diligentiſſime commendatur illud coniugium quod conſtat uiro & fœmina, non uiro & fœminis, aut fœminis & uiro. Vrſit hũc locum & S. Hieronymus in diſputationibus ſuis. Nam ad Gerontiam de Monogamia, Primi, inquit, hominis creatura nos doceat plures nuptias refutare. Vnus Adam & una Eua, imò una ex eo coſta ſeparatur in fœminam: rurſumq; quod diuiſum fuerat nuptijs copulatur, dicente ſcriptura, Erunt duo in carnem unam: non in duas, nec in tres. Propter quod relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: certè non uxoribus. Et aduerſus Iouinianum, Vna coſta, ait, à principio in unam uxorem uerſa eſt. Et erunt, inquit, duo in carnem unam: non tres neq; quatuor. Alioquí iam non duo, ſed plures. Primus Lamech ſanguinarius & homicida, unam carnẽ diuiſit in duas uxores. Fratricidium & digamiam eadem cataclyſmi deleuit pœna. Rurſus idem ad Saluinam de uiduitate ſeruãda, Scimus, inquit, honorabiles nuptias & cubile immaculatum. Etiam de paradyſo expulſus Adam unam uxorem habuit. Primus Lamech maledictus & ſanguinarius & de Cain ſtirpe deſcendens, unam coſtam diuiſit in duas, & plantariũ digamiæ protinus diluuij pœna ſubuertit. Alia huius generis permulta apud hunc ſcriptorem reperias. Et quemadmodum dominus non mulieribus duntaxat, ſed uiris etiam repudio interdicit, eadem lege conſtringens utroſq;: ita idem ille ſcriptor ad Oceanum ſcripturis conſentiens, Aliæ ſunt leges, ait, Cæſarum, aliæ Chriſti: aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit. Apud illos uiris impudicitiæ frena laxantur, & ſolo ſtupro atq; adulterio condemnato paſſim per lupanaria & ancillulas libido permittitur: quaſi culpam dignitas faciat, non uoluntas. Apud nos quod non licet fœminis, æque non licet uiris, & eadem ſeruitus pari conditione cenſetur. Sed hæc hactenus.

Monogamia cõmendatur.

Quod mulieribus interdicitur, uiris non conceditur.

Et afferebant ad illum puellos ut tangeret illos. Diſcipuli uero increpabant eos qui adducebant. Quod cum uidiſſet Ieſus indignatus eſt, & dixit illis, Sinite puellos uenire ad me: ne prohibete eos: talium eſt enim regnum dei. Amen dico uobis, Quicunq; non acceperit regnum dei, tanquam puellus, haudquaquam ingredietur in illud. Et cum cepiſſet illos in ulnas, impoſitis manibus ſuper illos, benedixit eis.

Require huius loci enarrationem apud Matthæum in cap. 19. Pertinet huc locus de Diſciplina et educatione liberorũ. Admonet enim locus ut omnes noſtros liberos deo conſecremus aut adducamus, quo ab ipſo benedictionem accipiant. Impius, rebellis & obſtinatus maledictionem reportat pro benedictione. Quomodo autem inſtituendi ſint liberi & qua imbuendi educandiq; diſciplina, docuerunt plures alij.

Inſtitutio liberorum.

Et cum exiret in uiam, accurrit quidam, ac genua flexit illi, & interrogabat eum, Præceptor bone, quid faciam, ut uitam æternam poſſideam? Ieſus autem dixit illi, Cur me dicis bonũ? Nemo bonus, niſi unus, deus. Præcepta noſti. Ne committas adulterium, Ne occidas, Ne fureris, Ne falſum teſtimonium dicas, Ne fraudes, Honora patrem tuũ & matrem. At ille reſpondens dixit illi, Præceptor, hæc omnia ſeruaui ab adoleſcentia mea. Ieſus autem intuitus illum, dilexit eum & dixit illi, Vnum tibi

deest. Abi quæcunq; habes uende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & ueni & sublata cruce sequere me. At ille mœstitia affectus propter eum sermonem, discedebat dolens. Habebat enim possessiones multas.

Nemo bonus nisi solus deus.

Colloquium hoc domini & adolescentis uarium & multiplicem habet usum: quemadmodum uidere licet in huius libri quarti hypothesi. Singula reddita sunt in Commentarijs ad Matth. in cap. 19. Theophylactus non inscite quęstionem domini, Cur me dicis bonum? Nemo bonus nisi &c. explicans, Accessit hic dominum, ait, tanquam hominem & unum ex magistris. Ergo dominus ait, Siquidem ut magistrum me bonum esse putas, nullus homo bonus est, si cum deo conferatur: si autem ut deum me bonum esse censes, quid igitur magistrum me uocas? Et ita uerbis istis Christus mentem hominis illius sublimiorem uult reddere, ut ipse tanquam deus cognoscatur &c. Obseruandum & illud, dominum hic apud Marcum adijcere præceptis, Ne fraudes, unde intelligamus similia, paria, siue consentanea, & quę ex præceptis dei consequuntur, dei esse præcepta. Nam hæc uerba, Ne fraudes, nusquam leguntur in Decalogo: consequuntur autem ex illis, Ne fureris, Ne falsum testimonium dicas. Prohibent enim hęc omnis generis dolos malos, imposturas, artes prauas & ex auaritia excogitatas, ac fraudes. Ideo Ne fraudes, adiectiuum est à domino tanquam expositio quædam diuini mandati. Quod sequitur, Iesus autẽ intuitus illum, ἠγάπησεν αὐτόν, dilexit eum, non alium opinor sensum habet, quàm dominum amice consuluisse ac excepisse inexpensum adolescentis responsum, quod alius aliquis supercilijosus pharisæus multò excepisset asperius. Nam Paraphrastes, Iesus, inquit, intuitus adolescentẽ probæ indolis & latæ spei, qui nõ ista sibi fingeret nec sibi malitiose placeret, quemadmodum Pharisæi, significabat sese etiam huius ætatis studio delectari. Itaq; præ se tulit quod eius affectu pio, licet imperfecto, delectaretur, ueluti exosculãs spem indolis euangelicæ (quemadmodum enim in ea ætate rarum est, ita plausibile est studium pietatis) nos interim admonens, ut ubicunq; uiderimus aliquam indolem ac spem euangelicæ pietatis, ne sæuis obiurgationibus obruamus, & alienemus teneros animos: quemadmodũ quidam nimiũ morosi literatores, qui bene nata ingenia, sua austeritate docẽt odisse literas: sed comitate prouehamus ad meliora, probantes studium sed interim ostendentes quo sit proficiendum. Reliqua pete ex Comment. ad Matth. Nam maximæ stultitiæ & miseriæ humanæ illud argumentum est, quod adolescens hic uix umbellas aliquot assequutus est, & audet tamen sibi usurpare perfectam uirtutum omnium laudem. Nam quod hic in præsenti priuatim designat, id manifeste facimus omnes, arrogantes nobis quorum umbras nunquam sumus consequuti.

Contra morosos quosdam.

Et cum circumspexisset Iesus, dicit discipulis suis, Quàm difficulter qui pecunias habent in regnum dei intrabunt. Discipuli uero obstupuerunt super uerbis illius. At Iesus rursus respondens, dicit illis, Filij, quàm difficile est eos, qui confidunt pecunijs, regnum dei ingredi. Illi uero supra modum stupebant, dicentes apud sese, Et quis potest salutem consequi? Intuitus aũt illos Iesus, dicit, Apud homines impossibile est, sed non apud deum. Nam omnia possibilia sunt apud deum.

Diuitiarũ periculum.

Specialem & priuatam causam facit nunc generalem & publicam, adolescentis exemplum applicans omnibus diuitibus, ac indicans quanto cum periculo salutis

lutis æternæ opes terrenæ coniunctæ sint, maxime si illis fidamus, hoc est, si in illas collocemus uitæ præsidium. De his disputauimus apud Matth. in cap. 19. unde si libet, horum enarrationem petas. Theophylactus, Non diuitiæ malæ sunt, inquit, sed qui illas habent digni sunt qui taxentur. Non enim illas habere oportet, id est detinere, sed eis uti pro necessitate. χρήματα enim, hoc est opes dictæ sunt possessiones, quia usui sunt hominibus & opem atq; auxilium afferunt: ideoq; non detinendæ sunt. Qui ergo illas habent, & includunt, difficulter in regnum dei ingrediuntur &c. Sed & Marcus significãter dixit πεποιθότας, id est fisos siue fretos. Peccatum enim non est habere siue possidere diuitias, sed illis nimium tribuere atq; confidere. Quod qui faciunt, illas includunt, neq; ijs ipsi utuntur pro necessitate, neq; alijs auxilio sunt, similes Hyperboreis gryphibus qui aurum in montibus custodire asseruareq; dicuntur, cuius usum ut ipsi habent nullum, ita nullum alijs permittunt.

Et cœpit Petrus dicere illi, Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Respondens autem Iesus, dixit, Amen dico uobis, nullus est qui reliquit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, mea causa & euangelij, quin recipiat centupla, nũc in tẽpore hoc, domos et fratres, & sorores, & matres, & liberos, & agros cum persequutionibus, ac in sæculo futuro uitã æternam. Multi autem primi erunt postremi, & postremi primi.

Præmia uirtutũ

Debetur sanè præmium uirtutibus in præsenti sæculo & futuro. Nam & Abraham pater omnium fidelium, præmia accepit temporaria & ęterna: sed interea humiles & modesti sunt fideles, iuxta illud apostoli, Qui stat, uideat ne cadat. Sed & dominus in præsenti, Multi, inquit, primi erunt postremi &c. Plura pete ex 19. ca. euangelij secundum Matth.

Erant autem in uia, ascendentes Hierosolymam, & præcedebat illos Iesus, erantq; pauefacti, & sequentes timebant. Et assumptis Iesus rursus duodecim, cœpit illis dicere, quæ sibi euentura essent, Ecce ascendimus Hierosolymam & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis, & condemnabunt eum ad mortem, tradentq; illum gentibus, & illudent illi, flagellabuntq; eum, & inspuent in illum, & occidẽt eum, & tertia die resurget.

Metuunt discipuli.

Proficiscebantur Hierosolymam, at ex uerbis domini & minis hostium Christi facile subodorabant quid esset futurum, & quod ipsis imineret magna persequutionis tempestas. Metuunt ergo sibi tanquam homines, ac sequebantur nihilominus præcedentem dominum, pauido tamen trepidoq; animo. Auxit metum discipulorum, quod disertis uerbis quid passurus esset exponit. Ac admonet frequentissima passionis in euangelica historia mentio, quod nihil sit salutari mortis dominicæ memoria salubrius, & cuius oporteat debeatq; homo fidelis frequẽtius meminisse. Maximum autem diuinitatis Christi & mortis spontaneæ argumentum est, quod tam graphice omnem supplicij modum describit prædicensq; edisserit. Eadem tractaui Matt. cap. 20.

Et accedunt ad eum Iacobus & Ioannes filij Zebedæi, dicentes, Præceptor, uolumus ut quicquid petierimus, facias nobis. Ille uero dixit eis, Quid me uultis facere uobis? Illi uero dixerũt ei, Da nobis ut unus tibi à

dextra, & alter tibi à sinistra, sedeamus in gloria tua. Iesus autẽ dixit illis, Nescitis quid petatis. Potestis bibere poculũ quod ego bibo? & baptismate quo ego baptizor, baptizari? At illi dixerũt ei, Possumus. Iesus aũt dixit illis, Poculũ quidem quod ego bibo, bibetis, et baptismate quo ego baptizor, baptizabimini; cæterum mihi sedere à dextra ac sinistra, nõ est meum dare, sed (ijs continget) quibus paratum est.

Caro aspirat ad honores.

Copiosissime enarrauimus hanc historiam apud Matt. in ca. 20. Testantur hæc quàm ferociat caro, & quanta cupiditate aspiret ad honores & imperia. Audierãt iam iam quid, & quãta esset passurus dominus, uerũ quasi nihil huius audissent, somniant regna & audiũt, Nescitis quid petatis. Hic lethargus plerosq; uexat uel hodie, nil aliud in euãgelio quærentes quàm temporalia. Cæterum dominus crucem & tribulationes pollicetur nobis. At ne sic quidem aperiuntur oculi hominum: id quod intelligitur uel ex sequenti historia.

Hoc cum audissent decem, cœperunt indignari de Iacobo & Ioanne. Iesus aũt cum uocasset eos ad se, dicit illis, Scitis eos qui uidentur imperare gentibus, dominiũ exercere in illas: uerum non sic seres habebit inter uos: sed quicunq; ex uobis uoluerit fieri magnus inter uos, erit minister uester: & quicunque ex uobis uoluerit fieri primus, erit omnium seruus. Nam & filius hominis, nõ uenit ut sibi ministraretur, sed ut ministraret, ac daret animam suam redemptionem pro multis.

Contra episcoporum imperia

Eadem propemodum & ad uerbum legũtur apud Matt. in ca. 20. ubi pro uirili nostra enarrauimus. Mirari profecto quis posset, qua fronte sibi imperia & regna uendicent, qui pro ueris Christi & apostolorũ successoribus haberi postulãt, cum dominus tam diserte dicat, Non erit ita intra uos. Non ignoro quibus fucis hic utantur papę propugnatores, quibus scortum illud suũ Babylonicum pingant: sed nemo non uidet, quàm aperta sint uerba saluatoris. Non recipiunt cõmodam aliquam expositionem: sed simpliciter negant ex Christo esse imperium episcoporum. Episcoporum est docere, & exemplo uitæ syncero dominico gregi præire. Atqui fastus pompa & luxus uitæ multos non sinit recte iudicare.

Et ueniunt Hiericho, cumq; egrederetur Hiericho ac discipuli illius & copiosa turba, filius Timæi, Bartimęus cęcus sedebat iuxta uiam mendicans: & cum audisset Iesum Nazarẹnum esse, cœpit clamare & dicere, Fili Dauid Iesu, miserere mei. Et increpabant illum multi, ut taceret. At ille multo magis clamabat, Fili Dauid miserere mei.

Fides.

Fide uera efficimur participes redemptionis & omniũ donorum dei: cum ergo hactenus de morte domini & redemptione nostra dixisset Marcus, subiungit iam historiã qua cõmendet fidem. Hanc tractaui in fine ca. 20. apud Matt. Theophylactus, Matthæus, inquit, duos cæcos narrat: & fieri potest duos quidẽ esse sanatos, hunc aũt ex illis clariorem fuisse, cuius nunc mentionem fecit Marcus. Quilibet aũt transferat in se personã cæci. Sumus enim animo & mente cæci: nisi ergo nostri misereatur Christus filius Dauidis, actum est de salute nostra. At huius misericordiam implorare oportet, & constanter quidem ac indesinẽter. Multa sunt quæ auocant nos à spe & fide nostra, sed perseuerandum in spe misericordiæ dei. Si differt diutius quod postulamus, in hoc differt, non ut neget, sed ut preces nostras quasi irritet.

Et

Et ſtetit Ieſus, ac iuſſit illum uocari. Et uocant cæcũ, dicentes illi, Bono animo eſto, ſurge, uocat te. Ille uero abiecto pallio ſuo, ſurrexit, & uenit ad Ieſum. Et reſpondens dicit illi Ieſus, Quid uis faciã tibi? Cæcus aũt dixit ei, Rabboni ut uiſum recipiã. Ieſus aũt dixit illi, Abi, fides tua ſaluum te reddidit. Ac protinus recepit uiſum: & ſequebatur Ieſum in uia.

Properandũ ad dominum.

Non reſpuit dominus clamantes ad ſe & ſperantes in eius miſericordia. Reſtitit ergo & benignũ ſe exhibet miſero. Vnica uero cõſolatio eſt cũ uocamur ad dominum. Beati qui uocationẽ & uocantem agnoſcunt. Cęcus hic exemplũ præfert nobis quanta cũ alacritate ſi quando uocamur accedamus ad dominũ. Geſtit, exilit, pallium abiicit, & ad Chriſtũ ceu exoptatiſſimum portum ancoramq; ſacrã ac currit. Paraphraſtes, Hic, inquit, pauliſp te remorabor, optime Lector, ut ſpectes cæci huius ac mendici alacritatẽ. Quoties tu uocaris ad Ieſum, nec abijcis palliũ, nec exilis, nec accurris ad uocãtem, ſed tergiuerſaris, differs, hæſitas, cauſaris, torpeſcis in ſordibus ac tenebris tuis, malens in ſordido pallio ſtipem emendicare ab hoc mundo, quàm ab Ieſu lucem accipere, quæ ſummã totius felicitatis cõplectitur. Quàm eſt ſplendida ueſtis innocentiæ. Quàm ſordide palliatus eſt, qui libidine, qui auaritia, qui luxu, qui ambitione coopertus eſt. Quã abiecte mẽdicus eſt, qui ob uile cõmodum corporis ſupplex eſt huic mundo. Quàm miſere cæcus eſt, qui nec ſe nouit nec deum. Quoties aũt ab iſta miſerabili calamitate uocaris ad Ieſum, lecta aut audita doctrina euãgelica, aut arcano quopiã ſpiritus afflatu attractus, cur nõ reiectis omnibus quæ remorari ſolent à tanta felicitate exilis ad ſpem uitæ melioris, cur nõ accurris ſumma cũ fiducia ad Ieſum, qui ſolus poteſt dare lucem & dare uult omnibus? Venit ad te Ieſus, acceſſit, & tu grauaris illi uiciſſim occurrere? Ad mortem uſq; cõtabeſcis in tenebris tuis, at nõ ſemper habebis tranſeuntem Ieſum. Certe poſt mortẽ neminem uocat ad ſalutẽ, ſed ad iudicium. Hic tranſiens audit clamantem Miſerere mei. Hic reſtitat, hic uocat, hic illuminat &c.

Fides ſanat.

Poſt hæc dominus diſerte tribuit fidei ſanitatẽ & omnem uirtutẽ. Sanitas quidem opus eſt gratuitũ diuinæ miſericordię: ſed quia fide recipitur donũ dei, hinc audit beatus cęcus, Fides tua te ſaluũ reddidit. Fides & nos ſaluos reddit, nõ opera, non merita noſtra. Nã diuinæ miſericordiæ & gratiæ gratuitæ eſt quod uiuimus. Porrò iuſſus abire cęcus, ſequitur Ieſum in uia. Non redijt ad pallium & priſtinã mendicitatem, ſed oblitus omniũ, ſequutus eſt Ieſum. Vbicunq; enim fides, ibi eſt diligens ſtudium uerbi dei ac ſedula imitatio Chriſti. Fides enim primo omnium iuſtificat nos, deinde uero incitat nos & conſeruat in obedientia legis Chriſti, necubi diſcedamus à uia Chriſti.

CAP. XI.

Et cũ appropinquant Hieroſolymis ad Bethphage & Bethaniam iuxta montem oliuarũ, emittit duos è diſcipulis ſuis & dicit illis, Abite in uicum, qui è regione ueſtri eſt, & ſtatim ingredientes in illũ, inuenietis pullum alligatũ, ſuper quẽ nullus hominũ ſedit, ſoluite eum, & adducite. Et ſi quis uobis dixerit, Cur facitis hoc? dicite quod dñs eo opus habet, & continuo illũ mittet huc. Abierunt aũt & inuenerunt pullum alligatum iuxta ianuam foris in biuio, & ſoluunt illũ. Et nonnulli eorũ qui illic ſtabant, dicebãt illis, Quid facitis ſoluentes pullũ? At illi dixerunt eis, quemadmodum præceperat Ieſus: & ſinebant illos. Et adduxerunt pullũ ad Ieſum, & iniecerũt illi ueſtimenta ſua, ſeditq; ſuper illũ. Multi uero ſterne-

bant ueſtimenta ſua in uiam: aliĳ uero frondes incidebant ex arboribus & ſternebant in uiam. Et qui præcedebant quiq; ſequebantur clamabãt, dicentes, Hos anna, benedictus qui uenit in nomine domini. Benedictũ quod uenit, regnum, nomini domine patris noſtri Dauid, Hos anna in altiſſimis.

Chriſtus pontifex & rex.

Attingit tãdem Hieroſolymam, in qua erat holocauſtũ oblaturus pro peccatis totius mundi & redempturus credentes à peccato & morte. Priuſq; aũt ſacerdos offerret, uoluit prius declarare ſe quoq; eſſe regem & liberatorem populi fidelis. Nam ideo regia pompa Hieroſolymã ingreditur. Vnde & Theophylactus, Sępe & aliâs, ait, uenit in Hieruſalem, ſed nunq; cum tanta claritate quãta nunc. Nunc enim quia paſſionis tẽpus aderat, quod ipſe ſibi præfiniuerat, clarior uenit, ut ſi uelint, gloriã eius intelligant, & ex prophetĳs quæ de eo erant, agnoſcant q̃d uerus ſit deus: ſin nolint, maior ſit ipſorum condemnatio quod tam apertis noluerunt aſſentiri miraculis atq; argumentis. Reliqua quæ ad huius loci enarrationem pertinent petantur ex ca. Matt. 21. Mirus hic eſt in collatione Chriſti & ſummi, ſed prophani, pontificis Eras. in Paraphr. huius loci, qui cupit, legat. Non aũt de rege duntaxat fauſta ominantur, ſed & de regno, clamantes, Benedictum, quod uenit regnum, nomine domini, patris noſtri Dauid. Fatentur & gratulantur quod dominus iuxta fidẽ diuinorũ oraculorũ iam iam excitarit Dauidis regnum: hoc appellant benedictũ, celebre, laudatũ, fauſtũ & felix. Ac reuera regnũ Chriſti ueri Dauidis eccleſia eſt: hæc in nomine domini coit & colligitur: hæc beata & felix eſt in ſuo rege, in ſemine inquam benedicto, per quod benedictio iuſtitia & ſalus obuenit, aufertur autem maledictio omnibus credentibus. Eſt itaq; uaticinium celebre in hac populi acclamatione: unde intelligimus quid nobis conferat rex noſter Chriſtus, benedictionem omnibus ſæculis promiſſam.

Regnum Chriſti benedictum.

Et ingreſſus eſt Hieroſolymã dñs, & in tẽplũ. Et cũ circũſpexiſſet oĩa, iamq; tempus eſſet ueſpertinum, egreſſus eſt Bethaniam cũ duodecim.

Chriſtus ſacerdos uniuerſalis eccleſiæ.

Sacerdotũ eſt inſeruire templo cultumq; deo placitũ in templo exercere. Quia ergo dominus ſacerdos erat, pertinebat certe cura templi ad ipſum, iccirco ingreditur nunc templum, ut hinc clareat ipſum & regem eſſe & ſacerdotem. Geſſit autem templum Hieroſolymitanũ, ſicut ex 2. cap. Haggæi colligere licet, typũ uniuerſalis eccleſiæ. Alioqui enim ſacerdotem templi Hieroſolymitani agere haudquaquam potuiſſet dominus, qui erat de tribu Iuda, non de tribu Leuitica oriundus: proinde quod in præſenti agit, nõ agit ut ſacerdos templi Hieroſolymitani, ſed tanquam ſacerdos uniuerſalis in mundo eccleſiæ, cuius eſt caput rex & dominus. Proinde circumſpicit in templo omnia. Nihil enim latere & ſubterfugere poteſt omniſciũ. Atq; regis & ſacerdotis officiũ eſt diligẽter inſpicere cognoſcereq; quid in regno quidue in tẽplo fiat, quid recte & decẽter, quid perperã & indecenter geratur. Id uero ubi mature & prudenter cognouiſſet, mox ea quæ praua erãt deĳcit, collapſa reſtituit, ipſaq; uera ſacra reſtaurat. Diſcunt ex hoc ſummi regis & pontificis exemplo recte gubernantis ſuã eccleſiã, proceres rerũ eccleſiaſticarũq; politicarumq; primo experiri quid fiat in regno & eccleſia, itẽ q; recte uel praue fiat, deinde ubi cognouerũt, praua demoliri & recta tueri atq; promouere. Paraphraſtes pie, Ieſus, inquit, uelut inſtauraturus collapſam tẽpli religionẽ, quę tum maxime phariſęis uidebaĩ florere, colluſtrauit totũ templũ, obſeruãs ſi quid illic gereretur templo dei indignũ: nõ q̃d illi magnopere curę fuerit quid in eo tẽplo gereret, quod

quod paulò post nouerat esse demoliendum: sed imagine quadam rei corporalis declarare uoluit, qualem uellet suam ecclesiam, quam ædificabat ex uiuis lapidibus. In his conuenit obambulare pontificem & circũspicere ne quid sit quod templum deo dicatum prophanet. Prophanat autem ambitio, quæstus turpis, auaritia, fraudulentia. Has abominationes non fert in templo suo dominus Iesus.

Quod tempus & ordinem rerum gestarum attinet, uideo contrauerti interpretes. Est enim qui existimet dominum ter eiecisse ementes & uendentes ex templo. Principio in initio prædicationis euangelicæ, sicut commemorat Ioan. in cap. 2. Deinde illo ipso die quo ingressus est templum, cuius meminit Matthæus atq; Lucas. Postremo die ab ingressu die postera, de qua historiam texit Marcus. Alij uero putant dominum nõ nisi semel ementes & uendentes profligasse è templo. Id quod fide & rationibus caret. Certum enim est ad minimum chananeos illos, mercatores inquã, bis eiectos esse à domino. Ergo uerisimile est postero die, sicuti Marcus aperte exprimit, eiecisse, quos Matthæus & Lucas duntaxat eiectos tradunt, nulla ratione temporis obseruata. Apparet interim lectoribus euangelistas non cõferentibus, simul atq; urbem ingressus fuerat, profligasse. Nisi malis Marcum miscere historiam, & post acta quædam posterioris diei, redire ad expositionem eorũ quæ facta sunt prima protinus die, qua solenni exceptus est pompa. Vtcunq; uero res habeat, certum est nihil hic sibi repugnans & contrarium tradi. Vera enim certa & indubitata sunt quæ tradit fides euangelica. Certe si ter eiecit è templo mercatores, claret uel cæco quàm uelit à cœtibus ecclesiasticis alienam esse mercaturam & quæstum. Si semel & iterum profligauit, rursus ipso facto declarauit nolle ullos contractus in æde sacra & in rebus ad religionem pertinentibus fieri. Atq; hic parum refert ultima eiectio facta sit primo uel secundo die. Certe neq; Matthæus neq; Lucas diserte contradixit Marco, primo uidelicet id factum esse die: ergo nec Marcus contradixit istis, licet dixerit eiectos esse mercatores postera die: iccirco nullum hic est periculum. Vtram enim sentẽtiam amplexus fueris, nihil peccaueris.

Dominus nõ semel eijcit ementes & uendentes de templo.

Ad uesperam sub noctem reuersus est dominus in Bethaniam, haud dubie istas ob causas. Principio ut oraret. Nam quo uicinior erat morti, hoc precabatur ardentius & crebrius. Deinde quod in magnifica quidem, sed ingratissima urbe, nõ reperiret hospitium. Timebat sibi quisque ne pharisæorum in se odia excitaret. Subducunt ergo sese à Christi cõsortio, qui ei hactenus acclamarant, Benedictus qui uenit in nomine domini. Verum hæc est humana imbecillitas & miseria: hi sunt uulgi mores. De his plura dixi apud Matth. in cap. 21.

Dominus ex urbe redit Bethaniam.

Et postero die cum exijssent Bethania, esurijt. Cumq; uidisset arborem ficí procul habẽtem folia, ueniebat, an uidelicet inuenturus esset aliquid in ea. Et cũ ueniisset ad illam, nihil inuenit nisi folia. Non enim erat tempus ficorum. Et respondens Iesus, dixit ficui, Ne posthac ex te in æternum quisquam fructum edat. Et audiebãt discipuli illius, ueniuntq; Hierosolymam.

Adumbrat his pœnam & supplicium rebelli & ingratæ imò perfidæ Hierosolymorum urbi debitum, maledictionem inquam dei & irreparabilem interitum excidiumq; ultimum. Ficus suaues progignit ex indole sua fructus: & Iudæi in hoc cœlitus fuerant uocati ut dulces pietatis, fidei inquam & charitatis fructus ederent, nunc uero speciem modo pietatis præ se ferebãt, reuera hypocritæ erant;

Supplicium urbis rebellis.

unde merito suo maximo maledictioni subiacent diuinæ, ne posthac sint gens & populus dei, quin magis excindantur ex terra, reliquiæq; sint totius orbis exquiliæ & sordes. Sic legis in Isaia, Expectaui ut uinea mea proferret uuas suaues, & ecce labruscas protulit. Expectaui iudicium, & ecce iniquitas: iustitiam, & ecce clamor. Ideo tollam sepem eius ut depascatur, rumpam maceriem eius ut conculcetur &c. Isaiæ 5. Cæterum ne quis mysterium hoc sensumq; secretiorem non uideret, inter alia commemorat Marcus, tunc cum hæc fierent non fuisse tempus ficorũ. Quis enim nescíat arbores stata habere tempora quibus proferunt fructus? Quis ergo citra iniuriam ex arbore aliqua ante tempus postulauerit fructum? Proinde absurditate illa suorum mentes excitare uoluit ad perquisitionem maioris mysterij. Interea uero nullam iniuriam arbori creaturæ suæ irrogat creator & conditor uniuersi. Condidit hic omnia ad utilitatem & ministerium hominum. Cum itaq; ad utilitatem hominum exaresćit ficus, id facit ad quod destinata est. Seruit enim hominibus: atqui ad hoc condita est. Paraphrastes non infeliciter mysticum sensum recludens, Dominus Iesus, inquit, esurientissimus humanæ salutis, reperit fructum in arboribus infrugiferis, quæ nullam spem de se præbebant, in meretricibus, in publicanis, in peccatoribus, in ethnicis, in Chananęa, in Samaritis: in solis sacerdotibus scribis & pharisæis, qui dulcissimi fructus euangelici summam de se spem præbebant, nihil omnino fructus inuenit. Tenebant arcem religionis, obuersabantur in templis, tenebant legem ac prophetas, pallebant ieiunijs, prolixe orabant, dabant eleemosynas, quin & stolæ lataq; phylacteria mirum quoddam pietatis studium præ se ferebant. Hæc nimirum erant folia uel ante tempus præcocem fructum pollicentia. Sed dominus hoc docere uoluit, nihil esse deploratius impietate falsa religionis specie fucata. Hæc ficus meretur execrationem Iesu, ne quis foliorum pompa deceptus ex hoc hominum genere posthac speret ullum fructum suauissimæ charitatis euangelicæ. Similitudinem ficus aliam nec prorsus dissimilem huic inuenies apud Lucam in cap. 13. Facit ea ad illustrationem huius.

Et ingressus Iesus in templum, cœpit eijcere eos qui uendebant & emebant in templo, & mensas argentariorum, sellasq; uendentium columbas subuertit: nec permittebat ut quisquam deportaret uas per templum. Et docebat, dicens illis, Nónne scriptum est, Domus mea, domus precationis uocabitur omnibus gentibus? Vos autem fecistis eam speluncam latronum.

Non permisit cuiquam ullum uas deportare per templum.

Hoc uidelicet erat ueri & fidelis sacerdotis officium, dei templum repurgare ab abusibus, prauis consuetudinibus, erroribus, prophanationibus & impietatibus. De ea re plura require ex 21. cap. Matth. Illud uero mirum est quod nulli permittebat uel uas deportare per templum. Norunt autem qui uel à limine salutarunt literas sacras, uasa usurpari iuxta dialectum Hebraicam pro omnigenis instrumentis. Vas ergo instrumentum est quæstui & negotiationi deputatum atq; idoneum. Atq; ita discimus exemplo domini Iesu, uerorum pontificum & episcoporum esse, ne quid quantumuis humile & exile sit, ferant in templis Christianorum, quod aliquando quæstui est adhibitum, aut unde periculum est, fore ut aliquando per abusum seruiat quæstui & prophanationi nouæ: cuius generis in primis simulachra & quæcunq; his connexa sunt esse credimus. Plura intelligit Lector quàm calamus consequatur & comprehendat: nec opus est longo catalogo.

Nam

Nam de similibus idem est iudicium. Quod autem in testimonio prophetico adij citur Omnibus gentibus, non fit citra causam insignem. Rursus enim submonet spiritus dei templum Hierosolymitanum prætulisse typum ecclesiæ per totum terrarum orbem dispersæ. Alioqui enim Iudæis peculiariter seruiebat templum Hierosolymitanum: at prophetæ uerba loquuntur de templo quodam omnibus gentibus communi, de quo & uerba Haggei cap. 2. exponenda sunt. Recte ergo Paraphrastes, Non magnopere, inquit, curabat dominus illius templi, quod cũ suis ritibus uolebat aboleri, puritatem: sed noui templi, cuius ipse futurus erat architectus, insignem nobis puritatem cõmendabat, subindicans interim & illud, merito sacerdotes, scribas & pharisæos submouendos à principatu religionis, qui ueterẽ etiã illam ac figuratam religionẽ suam auaritia, fraudulentia, simulatione, omniq; spurcitie genere cõtaminassent ac prophanassent. Nunq; legitur æque cõmotus Iesus, nunquam æque sæuijsse. Quid facturus esset si conspiciat suam sponsam ecclesiam, quam suo sanguine lauit, ut exhiberet sibi puram, expertem omnis maculæ ac rugæ, per episcopos ecclesiæ præfectos, omni turpitudinis genere prophanari, uiolari, conspurcari? Qui non solum pecudes & columbas, sed omnia sacra habent uenalia, quæ precio nec dari possunt nec emi. Conspicit haud dubie, tametsi dissimulat, nec ideo pœnam effugient tales, quia dei lenitas tolerat eos ad pœnitentiam. Nectetur aliquãdo, nectetur terribilis ille funiculus, qui templi sacri uiolatores eijciat in gehennam. Hactenus ille. Theophylactus autem, Sunt, inquit, qui multas quoq; nummorum mensas habent, qui administrant & dispensant ecclesiastica, & omnia propter auaritiam faciunt. Quoniam & sellæ uendentium columbas subuertuntur, hoc est pontifices uendentes spiritualia dona. Columba enim signat donum spiritus sancti: quod qui uendunt, à domino repelluntur à sacerdotio. Nam qui propter datum aurum ordinatur, à sacerdotio depositus est. Et reliqua.

Templũ eccles siæ typus.

Hoc audito scribæ principesq; sacerdotum, quærebant quomodo illum perderent. Timebãt enim eum: quia uniuersa turba obstupescebat super doctrina eius.

Ita uero male gratus est mundus ingentibus dei beneficijs. Odit ex animo fideles & ueraces qui libere incusant mundi immundiciam: ideo & Christũ non tantum odiunt pharisæi, sed & interficere quærũt. Augebat inuidiam metus. Is oriebatur ex eo quod uiderent populum pendere à sermonibus Iesu, qui derogabat ipsorum & authoritati ac doctrinæ, ac proindę etiã quæstui. Accusabat ipsos rea conscientia. Sentiebant uera docere & uera amplecti plebem, se autem esse hypocritas impostores & præuaricatores: metuebant ergo dominum. Deinde metuebant quod ex ardenti studio amoreq; plebis erga dominum intelligerent haud laturos impune, si quid iniuriarũ irrogassent domino. De hoc metu annotauimus quædam in finem 21. cap. Matth. sicut & de authoritate doctoris & doctrinæ Christi apud eundem cap. 7.

Ingratitudo.

Et cum aduesperauisset egressus est Iesus è ciuitate, & mane præteruntes, uiderunt ficum aruisse radicitus: & recordatus Petrus, dicit illi, Rabbi, ecce ficus illa, quam execratus es, aruit. Et respondens Iesus, dicit illis, Confidite deo. Amen dico uobis, quicunq; dixerit monti huic, tolla ris & mittaris in mare: & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit fore quæ dixerit, cõtinget illi quicquid dixerit. Propterea dico uobis, Quæ

cunq; orantes petitis, credite uos impetrare, & cõtingent uobis. Et cum ſteteritis orantes, remittite ſi quid habetis aduerſus aliquem, ut & pater ueſter, qui in cœlis eſt, remittat uobis delicta ueſtra.

Fides. Occaſione accepta ab arbore arefacta, docet dominus fidem ſiue fiduciam in deum, & ſubindicat quanta ſit uis fidei, qualem item deceat eſſe fidem, firmam utique indubitatamq;. Conſulatur Matth. cap. 21. ubi hunc locum enarraui. Submonet interim odijs hominum adobrutos, & iniurijs, calamitatibus, perſequutionibusq; preſſos, non poſſe eluctari niſi per fidem ueram. Fides, inquit apoſtolus & euangeliſta, eſt uictoria quæ uicit mundum. Præterea in tribulationibus mundiq; inſidijs confugiendum eſt ad deum, qui & aſſiduis pulſandus eſt precibus. Ita enim fecerunt cum Dauide omnes ſancti patres & prophetæ, ideoq; in præſentia rum commodiſſime de precibus ſiue oratione diſputat dominus. In ea hæc obſeruanda ueniunt. Principio orationem ſoli deo, non ullis creaturis offerendam. Solus enim omniſcius & ubiq; præſens eſt, ſolus omnipotens eſt, qui quæ rogatur, præſtare poteſt. Sed & beneficus eſt amatorq; hominum, qui quæ proſint, nouit, & utilia confert. Deinde citra fidem non ualere coram deo ullam orationem. Credere ergo oportet ante omnia. Sed quid obſecro? Accepturum te quod petis, id eſt deum tibi bene uelle, ideoq; illud daturum quod utile & bonum tibi eſſe nouit. Alioqui enim conſtat non raro huiuſmodi eſſe uota noſtra, & quę cum uolun tate dei pugnant, & ſi concederẽtur officerent, non prodeſſent. Quia ergo deus natura bonus eſt, id nobis filijs ſuis dat, quod bonum eſſe nouit. Idq; de deo credendum eſt, dare illum nõ niſi utilia, iuſta, bona. Ita uides uerbum domini, Quæ cunq; orantes petitis &c. non abſolute, ſed per commodam aliquam interpretationem intelligendum atq; explanandum eſſe. Ac impium plane foret, ſi quis quidlibet prætextu horum domini uerborum impetrare præſumeret. Pietas ubiq; adhibenda atq; in conſilium uocanda uidetur. Poſtremo requirit ab orantibus dominus, ut condonent omnibus debitoribus delicta. Cæterum dominus non remittit nobis noſtra peccata in recõpenſationem eius quod nos remiſimus. Nam ex gratia per Chriſtum remittuntur nobis peccata: ſyncera fides magis requiritur à nobis. Charitas eſt ex fide, hęc condonat peccata. Vbi nulla eſt condonatio, ibi nulla charitas, ergo neq; ulla fides. Sequuntur illa ex nexu continuo, ut iuſta condonatio ſit ſignum ſiue argumentum ueræ remiſſionis peccatorum, quæ contingit nobis ex gratia dei per fidem. De his diſputata ſunt quædam in capite Matthæi 5. 6. 18. &c.

De oratione.

Et ueniunt rurſum Hieroſolymam: & cum ambularet in templo, ueniunt ad illum principes ſacerdotum & ſcribæ & ſeniores, & dicunt illi, Qua authoritate iſta facis? & quis dedit tibi authoritatẽ, ut iſta facias? Ieſus autem reſpondens dixit illis, Quæram à uobis & ipſe quiddam, & reſpondete mihi, dicamq; uobis qua authoritate hæc faciam, Baptiſmus Ioannis è cœlo erat, an ex hominibus? Reſpõdete mihi. Et ratiocinabantur apud ſe, dicentes, Si dixerimus è cœlo, dicet, Cur igitur non credidiſtis illi? At ſi dixiſſent, ex hominibus, timebant populum. Omnes enim habebãt Ioannem ut qui uere propheta fuiſſet. Et reſpondentes, dicunt Ieſu, Neſcimus. Et Ieſus reſpondens, dicit illis, Nec ego dico uobis qua authoritate hæc faciam.

Vt

Vt in insidijs & periculis persequutionum perstare & uincere possimus, non mo- *Constantia.*
dicum momenti confert constantia & contemptus hostium dei, propter quorum mi-
nas & furores negotium & opus domini nequaquam negligamus oportet. Tametsi
ergo non ignoraret hostiũ suorum consilia dominus, redit tamen nihilo minus in tem-
plum, ac docet. Id quod pijs omnibus est imitandum. Rursus uero excubandum dili-
genter, & in singula momenta noua expectanda certamina, quæ excipere oportet ani
mo sobrio & prudenti, sicuti & dominum mox facere uidemus, dum à pharisæis peti-
tur. Ea disputatio exposita est apud Matth. in cap. 21.

Et cœpit illis per parabolas loqui, Vineã plantauit homo, & circun- CAP. XII.
dedit sepem, foditq; lacum, & ædificauit turrim, & elocauit eam agrico-
lis, & peregre profectus est. Et misit ad agricolas cum tempestiuum esset
seruum, ut ab agricolis acciperet de fructu uineæ. At illi arreptum illum
cæciderunt, ac remiserunt uacuũ. Et rursum misit ad illos alium seruum,
cui coniectis in eum saxis, caput contuderunt, & remiserunt contumelijs
affectum. Et rursum alium misit, & illum occiderunt multosq; alios, hos
quidem cædentes, alios uero occidentes. Itaq; cum unum adhuc haberet
filium suum dilectum, misit etiam illum ad illos postremum, dicens, Re-
uerebuntur filium meum. Illi uero agricolæ dicebãt inter sese, Hic est hæ-
res, uenite, occidamus eum, & nostra erit hæreditas. Et arreptum illum
occiderunt, & eiecerũt è uinea. Quid igitur facturus est dominus uineæ?
Veniet & perdet agricolas, & dabit uineã alijs. An ne hanc quidem scri-
pturam legistis, Quem reprobauerunt lapidẽ ædificatores, hic factus est
caput anguli. A domino factum est hoc, & est admirabile oculis nostris.
Et quærebant eum comprehendere, & metuebant multitudinem. Scie-
bant enim quod aduersus ipsos parabolã dixisset. Et relicto illo abierũt.

Satis superq; satis inclaruit populi Israëlitici & procerum eius incredula rebellio. *Pœnæ ingratis & incredulis debitæ.*
Quo plura accipiebant beneficia, quo clarius instituebantur in doctrina ueritatis, hoc
indurescebant magis & contemnebant, imò persequebãtur etiam ueritatem grauius,
quam erroris interim nõ quibant reuincere. Tempestiue ergo nunc dominus & ingra
tam ipsorum crudelitatem protrahit, & cõmeritas commemorat pœnas, excidium ui-
delicet gentis & reiectionem perpetuam. Reliqua pete ex cap. Matth. 21. Relicto, in-
quit, illo abierunt. Prius recesserant ab eo mentibus, quæ omnium pestilentissima de-
fectio est, iam & corporibus, quod ipsis & occasio & facultas cædendi deesset, sibiq;
metuerent à plebe studiosa nominis Christi.

COMMENTARIORVM IN EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM LIBER QVINTVS.

RESPONDET *porrò dominus mira cum maiestate ad quæstiones aliquot opidò utiles & necessarias. Principio enim disserit de magistratu, iubens ei quod debemus pendere. Deinde refutans Sadducæos, Valentinianorum & Marcionitarum patriarchas, asserit resurrectionem mortuorum, uitamq; futuri sæculi. Postea disputat perspicue de scopo & argumento totius scripturæ siue legis diuinæ. Præterea ipsis quoq; aduersarijs suis quæstionem proponit, qua demonstrat se esse Meßiam uerum, naturæ geminæ, uerum utiq; deum & hominem. Cæterum cum aduersarij, sacerdotes inquam & scribæ, nulla ueritatis perspicuitate & euidentia mouerentur, sed sui similes perpetuò pergerent plebem & seducere corruptis traditionibus & inexplebili habendi cupiditate deglubere, admonet plebem dominus ac præcipit ut caueant ipsorum doctrinam. Adhæc multa & magna ipsis impingit scelera, inter alia uero auaritiam & sacrilegia. Ne quis tamen frustra facultates ad conseruationem rerum ecclesiasticarum conferri putaret, ualde commendat cuiusdam uiduæ donum gazophylatio illatum. Postremo omnium, prædicit imò pingit excidium & ruinam templi Hierosolymorum splendidißimi, urbis antiquißimæ & orbis uniuersi. Adijcit & signa calamitatesq; quæ præcessuræ sint, significatrices inexplicabilium malorum. Et quoniam seruare non perdere cupit genus mortalium dominus, hortatur omnes ad preces & uigiliam.*

ET mittunt ad illum quosdam è pharisæis & Herodianis, ut eum captarent sermone. Illi uero cum uenissent, dicunt ei, Præceptor scimus quod uerax es, & non curas quenquam, non enim respicis personam hominum, sed reuera uiam dei doces, Licet censum dare Cæsari an non? Demus, an non demus? Ille uero cognita illorum simulatione, dixit illis, Quid me tentatis? Afferte mihi denarium, ut uideam. Illi uero attulerunt. Et dicit eis, Cuius est imago hæc & inscriptio? Illi uero dixerunt ei, Cæsaris. Et respõdens Iesus, dixit illis, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt dei deo. Et admirati sunt de eo.

Magistratus. Mouetur quæstio de magistratu, & de eo quid ipsi debeamus. Dominus paucis eã absoluit. Magistratus sicut & uictoria à deo est. Deus ergo regna concedit, hic reges & regna mutat, & cuicunq; uolet subijciet gentẽ suam. Sic docuerunt Iere. in 29. cap. & Daniel in 3. Quia ergo gentem suam deus subdiderat Romanis Cæsaribus, his omnino parere debebant, ijsq; pendere quæ subditi solent suis conferre principibus. Breuibus hanc quæstionem absoluit & apostolus Paulus, dum dixit, Omnis anima potestatibus eminentioribus sit subiecta. Item, Reddite omnibus quod debetur, cui tributum tributum, cui uectigal uectigal, &c. Reliqua pete ex 22. cap. Matth. Herodianos esse Herodis aulicos & Romanorum officiales, colligendisq; tributis præfectos uel hinc claret. Indepti sunt hoc nominis hinc fortassis, quod Herodes magnus à Romanis præfectus Iudæis tributum ab eis primus exegerit. Sed de his aliâs dictum est satis.

ET ueniunt Sadducæi ad illum, qui dicunt non esse resurrectionem, interrogauerũtq; eum, dicentes, Præceptor, Moses scripsit nobis, si cuius frater mortuus fuerit, ac reliquerit uxorem, & liberos non reliquerit, ut ducat frater eius uxorem illius, & suscitet semen fratri suo. Septem fratres fuerunt, ac primus duxit uxorem, isq; moriens non reliquit semen, & secundus

cundus duxit illam, ac mortuus est, & nec ipse reliquit semen, & tertius similiter. Et duxerunt eam septem, nec reliquerunt semen. Postrema uero omnium mortua est & mulier. In resurrectione igitur cum resurrexerint, cuius illorum erit uxor? Nam septem habuerunt eam uxorem. Et respondens Iesus, dixit eis, An non propterea erratis, quod non sciatis scripturas, neq; potentiam dei? Cum enim à mortuis resurrexerint, neq; contrahunt matrimonium, neq; nuptum dantur, sed sunt uelut angeli qui in cœlis sunt. Cæterum de mortuis quod resuscitentur non legistis in libro Mosi, quomodo in rubo loquutus sit illi deus, dicens, Ego ille deus Abraham, & deus Isaac, & deus Iacob. Non est deus mortuorum, sed uiuentium. Vos igitur multum erratis.

Resurrectio.

Hisce eleganter tractatur memorabilis quæstio de Resurrectione mortuorũ, quam nos apud Matth. in cap. 22. explicauimus. Abutuntur quidam hisce domini uerbis, Sunt uelut angeli qui in cœlis sunt, aduersus quos Epiphanius multis disputat contra hæreses lib. 2. tomo 1. ubi agit contra Origenianos.

Et cum accessisset quidam è scribis, & audisset eos disputantes, uideretq; eum bene respondisse eis, interrogauit illum, Quod est primũ omnium præceptorum? Iesus autem respondit illi, Primum omniũ mandatorũ est, Audi Israël, dominus deus noster, dominus unus est. Et diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex totis uiribus tuis. Hoc est primum præceptũ. Et secundũ simile, hoc est, Diliges proximum tuum ut teipsum. Maius his aliud præceptũ non est. Et dixit illi scriba, Recte, præceptor, in ueritate dixisti unũ esse deũ, nec esse alium præter illũ, diligereq; eum ex toto corde, & ex tota intelligẽtia, & ex tota anima, & ex totis uiribus, ac diligere proximum ut seipsum, plus esse cũq; uniuersa holocaustomata & uictimas. At Iesus cũ uideret eum cordate respondisse, dixit illi, Haud longe abes à regno dei. Et nemo post illa, audebat ipsum interrogare.

Scripturarum scopus dilectio.

Sed & hæc quæstio celebris est, sine cuius explicatione & intellectu sano parum utiliter uerseris in sacris literis. Vnde Augustinus lib. de Doct. Christ. 1. cap. 36. Quisquis, inquit, scripturas diuinas uel quamlibet earum partem intellexisse sibi uidetur, ita ut eo intellectu non ædificet geminam charitatem, dei & proximi, nondum intellexit. Quisquis uero inde talem sententiam duxerit, ut huic ædificandæ charitati sit utilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille quem legit eo loco sensisse probabitur, non periculose fallitur, nec omnino mentitur, &c. Excitant hæc nos ad diligentiam & attentionem, ne hic & in re tanti momenti simus inertes & segnes. Ac Primum in præsenti Marcus appellat quod Matthæus dixit Magnum, id nimirum quod scripturæ fundamentum & scopus est, ad quem referuntur omnia. Adijcitur enim alibi, In his lex ac prophetæ pendent. Enarrauimus hanc quæstionem apud Matthæum in cap. 22. eò te relegamus Lector. Porrò commodum in præsenti primum differit de deo. Hic enim est in quem intendit figituráq; dilectio, qui sicuti unus est, ita solus diligendus est super omnia. Secundũ primo dicitur simile, & quod dilectione cõprehenditur, & quod proximum diligimus propter deum. Addit, Maius his aliud non est. Excellit enim cha

ritas atq; adeò ut omnes uirtutes sine charitate nihil minus sint q̃ uirtutes. De qua re consulas licet Apostolum 1. Corinth. 13. cap. Cæterum non citra causſam & fructũ repetuntur uerba legis à legisperito. Ita enim sedulò nobis cõmendatur, imò inculcatur quod in lege dei est primarium & potissimum. Obseruandũ tamen quod scriba addit quædam quæ dominus non dixit, sponte autem sequuntur ex uerbis domini, scripturisq; consentanea sunt. Dominus dixerat, Audi Israël, dominus deus noster, dominus unus est. Id quod petijt ex 6. cap. Deut. Scriba uero dicit, Recte præceptor in ueritate dixisti, unum esse deum, nec esse alium præter illum. Atqui nõ dixerat dominus, Non alium esse præter illum. Verum hoc consequitur ex illo. Vnum enim diuisionis & societatis expers est. Ita uero discimus explicare scripturas. Nam cũ dicitur, Vnus deus, unus saluator, unus mediator, una hostia, perinde est ac si dixisset scriptura, nec alius præter illum, non alia hostia. Proinde unus tantundem pollet atq; solus. Sed age ubinam aut quando dixit dominus Diligere proximum plus est q̃ uniuersa holocausta & uictimæ? Cum dixit, Maius his aliud præceptum non est. Hoc enim scriba sic intelligit quod dominus dilectionẽ prætulerit uel maximis uirtutibus. Ac tum quidẽ immolabantur holocausta & uictimæ ex mandato domini, necdũ erant abrogata. Ac proculdubio intellexit hic omnes ceremonias omnemq; externum cultũ per has duas species. Et recte quidem domini uerba intellexit scriba. Nam non reprehenditur à domino. Subiungitur enim ipsum cordate respondisse, ideoq; dominũ subiecisse, Haud longe abes à regno dei, testificans illũ nõ male iudicare de rebus religionis, quod haud dubie perficeret, pleneq; regnum dei reciperet si fidẽ iungeret dilectioni, & per fidem in dilectione sese exerentem deo placeret. Neq; enim satis est ueram religionẽ intellexisse nisi eam exprimas fide & dilectione, germana religione congruis. Hic aũt triumphat uictrix ueritas. Nemo enim audet porrò interrogationibus tentare dominũ. Interrogationibus quidẽ capere & populo ridendum exhibere dominũ aduersarij instituerunt, sed præbebant domino occasionem interrogationibus illustrandi ueritatem confutandiq; corruptas pharisæorum doctrinas. Docebant hi exernis cultibus constare religionem & recipi conferriq; salutem, dominus aliud hic tradit, ac tanta quidẽ euidentia, ut aduersarij mirarentur, nihil habentes quod opponerent. Ita euenit ipsis & consequenti historia, siue congressu.

Vincit ueritas.

Et respondens Iesus, dicebat docẽs in templo, Quomodo dicunt scribæ Christũ esse filium Dauid? Nam ipse Dauid dixit afflatus spiritu sancto, Dixit dominus domino meo, sede à dextra mihi, donec posuero inimicos tuos, scabellũ pedum tuorũ. Ipse ergo Dauid uocat eum dominũ, & unde filius eius est? Et plæraq; turba audiebat eum libenter.

Nusquam relinquit docendi officiũ, hoc ipsum suo exemplo cõmendans omnib. pastoribus pijs, ut et ipsi doceant sedulò, etiãsi insidiarũ iniuriarũq; nullum uideant finẽ. Quæstio domini legisperitis ꝓposita explicatur in Cõmentarijs apud Matth. cap. 22.

Nunquam sine fructu prædicatur.

Quod uero plæraq; turba ipsum dominum libenter audit, conuincit prædicationem uerbi dei nunquam carere suo fructu, licet semper reperiantur qui contradicentes se opponant ueritati. Pauci ex eruditis & principibus uiris credebant domino, plæraq; uero turba credebat domino. Hæc enim utpote simplex minus rapitur uehementibus grauibusq; illis affectionibus, ambitione, liuore & similibus. De principibus legis dixisse dominum, Quomodo potestis uos credere, qui gloriam à uobis inuicem accipitis? Caueamus ergo ne hisce nos mancipia præbeamus affectionibus.

Dicebat autem illis in doctrina sua, Cauete à scribis, qui amant stolati obambulare, & salutationes in foris, primasq; sellas in cõgregationibus,

& primos accubitus in cœnis, qui deuorant domos uiduarum, idq; præ-
textu, ut qui longas precationes faciant. Hi ſubibunt grauius iudicium.

Paraphraſtes pulchre occaſionẽ huius loci locumq; ipſum enarrans, Cum, inquit, dominus uideret turbam ſanabilem, ſacerdotes autem, ſcribas & phariſæos deſtinata malitia tendere quo cœperant, cœpit eos palàm apud populum traducere, non ut illis obtrectaret, ſed ne poſthac populum fallerent, detraxit illis falſæ pietatis & ſanctimo-
niæ perſonã. Iam enim tempus ita poſtulabat. Itaq; depromens ſuam illam doctrinam, id eſt liberam nulliq; palpantem, aiebat, Cauete ne uos fallat magnifica ſpecies ſcriba-
rum & phariſæorum. Non ſtudent ueſtræ ſaluti, ſed ſuæ gloriæ. Cupiunt enim ut ma
gni uideantur. Ambulant in ueſtibus ad talos uſq; demiſſis, uenanturq; ſalutationes in foro, captantq; primorum ſedilium honorẽ in conſeſſibus, & in conuiuijs primum locum in accubitu. Et quæ ſequuntur. Reliqua quæ ad huius loci enarrationem per-
tinent, pete ex Matth. 23. cap. *Detrahitur perſona pſeudo doctoribus.*

Et cum ſederet Ieſus ex aduerſo gazophylatij, ſpectabat quomodo multitudo mitteret æs in gazophylatium. Et multi diuites mittebant mul
ta. Et uenit quędam uidua pauper, miſitq; minuta duo, qui eſt quadrans. Vocatisq; ad ſe diſcipulis ſuis, dicit illis, Amẽ dico uobis, uidua hæc pau
per plus miſit, quàm omnes qui miſerunt in gazophylatium. Nam om-
nes ex eo, quod ipſis ſupererat, miſerũt, at hæc è penuria ſua omnia quæ-
cunq; habuit, miſit, totam ſubſtantiam ſuam.

Dixerat modo dominus ſacerdotes & phariſæos ficta religione & prætextu proli-
xarũ precũ deuorare uiduarũ domos, adeoq; pauperũ ſubſtantiã, quibus fortè cõmo-
tus aliquis dixerit, Ergo cum uideam male perire opes eccleſiaſticis hominibus colla-
tas, & hos prauis artibus corradere undiq;, unde luxurient, poſthac nihil planè contu-
lero ad eccleſiaſtica uectigalia: dominus dantes in præſentiarum non damnat ſimpli-
citer, ſed interim quo animo dare oporteat oſtendit. Cõtulit enim ſe in eam templi par-
tem, in qua & opes aſſeruabantur eccleſiaſticæ, & homines munera ſua conijciebant in arcam, ibi ſpectabat aduentantes muneraq; ferentes, inter quos diuites aliquot in-
gentia afferebant munera. Atque hos non uituperauit. Nam Gazophylatij uſus non erat inuentum humanum, ſed petitus è lege domini. Locos ſi quis requirat inueniet Exodi 30. 2. Paralip. 24. Nehemiæ 3. & 10. cap. Conferebantur autem opes illæ ad ſar-
ta tecta q; templi, ad ſacra deniq; miniſteria, hoc eſt, ad conſeruationem publicorum ædificiorum, miniſtrorum item & pauperum, ad ſanctum inquam uſum. Itaq; dan-
dum quidem eſt, & qui dant bene faciunt. Dabant opulentiores apoſtolorum quoq; tempore ad uſus huiuſmodi ſanctos ſuas facultates, ut legitur in Actis Apoſtolicis cap. 4. 5. & 6. ex quibus alebantur miniſtri eccleſiæ & pauperes fideles. Cum enim propter confeſſionẽ Chriſti plures è ſynagoga eijcerentur, fame pereundum his fuiſ-
ſet, niſi liberalitas Chriſtianorum periclitantium ſubueniſſet inopiæ. Proinde ſi hodie quoq; exigat rei neceſſitas, dare debẽt fideles opulentiores ad huiuſmodi uſus ſacros. Cæterum cum ex regum, principum, nobilium, ciuiumue munificentia opes ſuppe-
tunt, etiam atq; etiam uidendum ne turpiter prodigantur, aut expilatione ſacrilego-
rum hominum minuantur. Diſpenſandæ ſunt illæ pro eccleſiarũ neceſſitate utiliter, iuſte & ſancte. Porrò uidua hæc, quæ dat, animo dat benigno & liberali, datura pro-
culdubio longe ampliora ſi potuiſſet. Requiritur ergo animus à dantibus, paratus & promptus. Apoſtolus enim 2. Corinth. 9. Hilarem datorem, inquit, requirit deus. Ac celebre eſt illud apud ethnicos prouerbium, Munerum animus optimus. Atq; uidua *De beneficentia & uectigalibus ſacris.*

hæc ex liberalitate illa animi ſui cupiebat haud dubie et ſemetipſam impendere totam. Vnde dominus ex animo munus æſtimans atq; commendans, Pro cõperto, inquit, dico uobis, quod hæc uidua quamlibet tenuis (uerbis utor Paraphraſtæ) plus dedit in gazophylatium, quàm cæteri omnes qui uidentur liberaliſſime dediſſe. Nam cæteri dederunt ex eo quod ipſis abundabat. Multum dederũt, ſed plus ſibi ſeruarunt. Hæc autem ex inopia ſua facultates ſuas uniuerſas largita eſt, nihil ſibi reſeruans. Nõ enim æſtimat deus donarium ex modo rei, ſed ex affectu mentis, &c. Donarium quod obtulerat erant minutuli nummi duo, qui conficiunt unum quadrantem. At M. Varro,

Quadrans. Quadrans, inquit, eſt pars aſſis quarta, ſicut ſextans ſexta pars, triens pars tertia. Certe minimi momẽti fuit quod obtulit, ueluti ſi tu offeras cruciatum aut minutias leuiores. Exhibet interim hæc hiſtoria & alia nobis dogmata, Principio quidem, deum quodlibet opus noſtrum non metiri ex pretio magno, ſed magis ex affectu pio & religioſo. Deinde domino uel minutiſſima placere opera, ſi fiant per fidem, ex corde ſyncero & beneuolo. Nam apud Matth. in cap. 10. Quicunq;, inquit, ad bibendum dederit uni ex puſillis his poculum aquæ frigidæ, tantum nomine diſcipuli, amen dico uobis non perditurus eſt mercedẽ ſuam. Habent itaq; & pauperes adeoq; mendici, quo ſeruiant deo, ut non poſſint ſeſe excuſare. Si non habes aurum, habes certe conſolationem & officia, quouis pretioſiſſimo auro præſtantiora. Si obſtare nõ potes ſceleribus quo minus patrentur, ne placeant tibi, cõtradicito, & moribus illa tibi diſplicere oſtende. Conijcimus & ex illo Chriſtum eſſe deum uerum, qui uiduæ mentem inſpexit, ac quo animo fecerit, quod fecit, quantũq; poſſederit, ac dederit, uidit. Solus enim deus cordium eſt ſcrutator.

CA. XIII. Et cum exiret è templo, dicit illi quidam è diſcipulis ipſius, Magiſter, uide cuiuſmodi lapides, & cuiuſmodi ſtructuræ? Et Ieſus reſpondens, dixit illi, Vides has magnas ſtructuras? Non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non diruatur.

Excidium gentis perfidæ. Tandem genti & populo pœnitere neſcio, & contemnenti ſalutem æternam, excidium & interitum prædicit. Sperabant iſti religione & ſanctimonia templi ſe ſeruandos, ſicut & Ieremiæ ſæculo clamauerant, Templum domini, templum domini, templum domini: ſed dominus uaticinatur etiam templum fore perdendũ. Fuſius de his dixi Matth. 24. cap.

Et cum ſederet in monte oliuarum è regione templi, interrogabant illum ſeorſim Petrus & Iacobus, & Ioannes & Andreas, Dic nobis quando hæc euenient? & quod ſignũ erit quãdo hæc omnia ſint conſummanda? At Ieſus reſpondens illis, cœpit dicere, Videte ne quis uos fallat. Multi enim uenient nomine meo, dicentes, Ego ſum Chriſtus, multosq; decipient. Cum autem audieritis bella & rumores bellorum, ne turbemini. Oportet enim (ea) fieri, at nondũ finis. Inſurget enim gens aduerſus gentem, & regnum aduerſus regnum. Et erunt terræmotus in ſingulis locis, eruntq; fames & tumultus. Initia dolorũ hæc. Sed cauete uos uobis ipſis. Tradent enim uos in conſilia, & in ſynagogas, cædemini, ac ad præſides & reges ducemini, propter me in teſtimonium illis. Et in omnes gentes oportet prius prædicari euangelium. Cum autem duxerint uos tradentes, ne ſolicite præcogitetis, quid dicturi ſitis, neq; meditemini, ſed quic-

quid

quid datum fuerit uobis illa hora, hoc loquamini. Nõ enim eſtis uos qui loquimini, ſed ſpiritus ſanctus. Traditurus **eſt** autẽ frater fratrem in mortem, & pater filium, & inſurgent liberi aduerſus parentes, ac morte afficient eos. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui uero ſuſtinuerit uſq; in finem, hic ſaluabitur.

Interrogatus dominus de excidio templi & urbis Hieroſolymorum, item de calamitatibus uenturis, & cõſummatione ſæculi, oſtendit multa enumeratione quæ præceſſura ſint, nimirum ut ex præcedentibus æſtimemus cõſequentia, & ſinguli parent ſe quo conſiſtere poſſint in die malo. Pertinent autem in his quædam peculiariter ad fata Hieroſolymorum gentisq; Iudaicæ, quædam ad poſtrema ſæcula propter ſimilitudinem, quædam quidem ad diſcipulos primitiuamq; eccleſiam, quædam uero ad omnes omnium ſæculorum ultimorum maxime homines. De quibus copioſius diſſerui apud Matth. in cap. 24.

Porrò cum uideritis abominationem deſolationis, de qua dictum eſt à Daniele propheta, ſtantẽ ubi non oportet, qui legerit, intelligat. Tunc qui fuerint in Iudæa, fugiant in montes: qui uero fuerit in tecto, ne deſcendat in domum, nec ingrediatur ut quicquã tollat è domo ſua. Et qui fuerit in agro, ne reuertatur retro ad tollendũ pallium ſuum. Væ autem prægnantibus & lactantibus in illis diebus. Sed orate ne fiat fuga ueſtra hyeme. Erunt enim dies illi talis afflictio, qualis non fuit à primordio rerum conditarum, quas condidit deus, uſq; ad hoc **tempus**, nec futura eſt. Et niſi dominus decurtaſſet dies, haudquaquam **ſeruata** fuiſſet ulla caro: ſed propter electos quos elegit, decurtauit dies. Actum ſi quis uobis dixerit, Ecce hic Chriſtus, ecce illic, ne credatis. Exorientur enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & ædent ſigna ac prodigia ad decipiendum, ſi fieri poſſit, electos. Vos autem cauete: ecce prædixi uobis omnia.

De excidio Hieroſolymorum.

His fermè ad eam quæſtionis partem reſpondet, qua de excidio Hieroſolymorũ fuerat rogatus. Sed & conſilium dat fidelibus, quomodo ſe gerant in illis turbis. Conſolatur item quos comprehendit & inuoluit malum, prędicens non admodum diuturnas fore calamitates, alioqui maximas & exemplo carentes. Hæc omnia copioſe ſatis, opinor enarraui apud Matth. in cap. 24. ut iam nihil uideatur adijciendum amplius. Paraphraſtes poſtrema illa non infeliciter enarrans, Tantum, ait, cauete, nè pro me alium Chriſtum complectamini. Plus erit periculi ab impoſtoribus quàm à perſequutoribus. Exorientur enim in illis diebus pſeudochriſti, qui ſibi meum nomen meamq; perſonam falſò uendicabunt. Exorientur & pſeudoprophetæ, qui fucata ſanctimoniæ ſpecie ſe mentientur eſſe prophetas, magicisq; prodigijs & dæmonum arte adumbratis miraculis imitabuntur prophetas ac me, ſic ut eiuſmodi præſtigijs falli poſſint, ſi qua uis ualeret aduerſus deum, etiam electi. Itaq; ſi quis uobis dixerit, Ecce hic eſt Chriſtus, ne crediderit**is**: aut ſi quis aliò reuocans dixerit, Ecce hic eſt, quemcunq; uobis locum demonſtrauerit, quamcunq; ſpeciem aut cultum, nolite credere. Chriſtus enim ubi ſemel terras reliquerit, non poterit oſtendi digitis, ſed in animis latebit, & ex his indicijs agnoſcetur, ſi cuius uita referat Chriſti doctrinam. Cęterum in fine mundi Chriſtus non ueniet quemadmodum nunc uenit, ſed ſubitò præter omnium expectationem oſtendet ſeſe, fulguris in morem è ſublimi terribilis impijs qui conijcientur in

ignem æternum, amabilis pijs qui uocabuntur ad cœlestis regni consortium. Vos igitur si incideritis in hæc tempora, cauete ne pro me, Christum aliquem ementitum amplectamini. Ecce prædixi uobis omnia. Superest ut memineritis. Huc uero puto pertinere & illud Theophylacti dicentis, Quia impleuit quæ ad Hierusalem attinent, incipit igitur nunc de aduentu Antichristi dicere. Quod autem dicit Tunc, ne intelligas quod quando fiunt ea quæ supra dicta sunt de Hierusalem, tunc inquã si quis uobis dixerit, ecce hic Christus, ne credatis, sed scito quod scripturæ proprietas hæc est. Sicut & Matth. post genealogiam Christi dicit, In diebus illis aduenit Ioannes. Quibus diebus? num mox sequentibus post Christi natiuitatem? Non, sed indefinite. Sic igitur & hoc loco dicit Tunc, non quando Hierusalem desolata fuit, sed per tempus aduentus Antichristi, ne seducamini. Multi enim prætexent nomen Christi, &c.

Cæterum in illis diebus, post afflictionem illam, sol obtenebrabitur, & luna non dabit splendorem suum, & stellæ cœli decident, & uires quæ in cœlis sunt, concutientur, & tunc uidebunt filium hominis uenientem in nubibus cum potestate multa & gloria. Et tunc mittet angelos suos, & aggregabit electos suos, à quatuor uentis, ab extremo terræ usq; ad extremum cœli. A ficu uero discite similitudinem, cum ramus eius iam tener fuerit, produxeritq; folia, scitis prope esse æstatem. Sic & uos cum uideritis hæc fieri, scitote prope esse in foribus. Amen dico uobis, non præterierit natio hæc, donec omnia hæc facta fuerint. Cœlũ & terra præteribunt, sed uerba mea non præteribunt.

De consummatione sæculi.

Plenius & significantius per hæc disputat dominus de cõsummatione sæculi, deq; stupendis prodigijs ac motibus siue turbis iudicium extremum præcedentibus, simul etiam cum ipso concurrentibus. Adumbratur & iudicij modus, describitur iudex, indicatur & mortuorum resurrectio. Nos rursus relegamus lectorem ad 24. Matth. Paraphrastes breuiter & perspicue iudicium & resurrectionẽ mortuorum complexus dicit, His peractis subitò uidebunt omnes qui uixerint, filium hominis nunc humilem & contemptum, emicantem in altissimis nubibus cum potestate multa et gloria patris & innumeris angelorum copijs. Tunc emittet angelos suos, qui nullum electum patientur abesse, sed omnes undiq; colligent, seu uiuos seu mortuos, subitò in uitam reuocandos, omnia mystici corporis membra suo capiti aggregaturi, ut qui fuerant consortes afflictionum ob euangelium, consortes sint æternæ felicitatis. Nec refert quo deuolarint animæ piorum, quo proiecta fuerint corpora, reperientur ab angelis, & colligentur à quatuor mundi plagis, rursus à summo polo cœli usq; ad imum. Suo quæq; anima corpori iungetur, & suo capiti sociabũtur omnes pariter electi. His conformia tradens Ioannes in Apocalypsi, Et uidi, ait, thronum magnum, candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra & cœlum, & locus non est inuentus eis. Et uidi mortuos magnos & pusillos stantes in cõspectu dei: & libri aperti sunt, & alius liber apertus est qui est uitæ, & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera illorum. Et dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors & infernus dederunt eos qui in ipsis erant, & iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum. Apoc. 20.

Iudicium et resurrectio mortuorum.

Diem autem illam & horam nemo nouit, ne angeli quidem, qui in cœlo sunt, nec ipse filius, sed solus pater.

Solus deus nouit horam extremi iudicij.

Quia uero curiositas hominũ de ipsa die extrema extremæq; diei puncto sciscita-

poterat,

poterat, quo uidelicet die, & quo diei articulo uenturus sit iudex, præoccupat ac dicit, hoc arcanũ soli sibi reseruasse patrem. Hinc intelligimus nostrum esse nihil porrò indagare curiosius, sed quoniam scimus uenturum illum diem, ut in singula momenta parati, illam expectemus. Quomodo autẽ solus pater norit, filius ignoret diem illam, exposuimus apud Matth. in cap. 24. Quibus lucis & ueritatis gratia adijcimus nõ inutilia hæc ex 9. lib. cap. 4. Thesauri beati patris Cyrilli, qui contra Arianos & alios hæreticos contendentes filium patri non esse coæqualem, disputans, Vltimam diem, inquit, ignorare dispensando dixit, ut homini quem assumpsit congruentia diceret. Hominis enim naturæ proprium est ignorare futura. Necessarium igitur est ad intelligendas recte scripturas, tempora cõsiderare in quibus dicta sunt quæ scribũtur. Sic enim facile poterimus errores euitare, præsertim in uerbis saluatoris. Si ergo ante incarnationem humile aliquid dei filius dixisse inueniretur, ratiocinari quispiam uerisimiliter forsan posset de deitate ipsius uerba fieri, sin uero quando caro factus est, humano more loquitur, ut uere se hominem factum ostendat, inconueniens est deitati suæ accommodare illa, quæ ipse ut homo protulit, quod certe nemo facit qui dispensationis susci-dit modum. Nam si homo factus non sit, cuncta ut deus loquatur: sin autem factus est homo, concedatur ut more hominum etiam loquatur. Et mox, Nõ oportet igitur propter hanc uocem ignorationem dei uerbo inurere, sed potius misericordiam eius admirari, quod non recusauerit propter nos ad tantam humilitatem descendere, ut omnia nostra, & ipsam etiam ignorantiam humanam susciperet. Et iterum post argumenta aliquot, Sed interrogandi hæretici sunt, quid facient quando saluator dicitur esurijsse, sitijsse, laborasse ex itinere, dormijsse ingressus in scapham, audebũntne dicere uerbum dei hæc esse perpessum? an hæc humanitati suæ attribuent, & uerbum dei ab istis liberabunt? Sicut ergo uoluit tanquam homo fame & siti, cæterisq; huiusmodi laborare, sic etiam ut homo diem illum ignorat. Aliquando enim ut deus, aliquando ut homo loquitur, ut & deum & hominem se uerum ostendat. Vt deus dixit ad discipulos, Lazarus amicus noster dormit, cum nullus ei nunciasset. Vt homo, cum ad sorores Lazari longo peracto itinere peruenisset, interrogabat, Vbi posuistis eum? Qui longe absens mortuum esse sciebat, quomodo iam præsens locum ignorabat ubi corpus Lazari erat? Non enim est uerisimile illud eũ sciuisse, & hoc ignorasse, sed utrũq; ut deus sciuit, & utrũq; ut homo ignorauit. Ita igitur diem illum etiã & horã, & ignorat & scit, alterum ut homo, alterum ut deus. Hæc Cyrillus hucusq;.

Distinctæ in Christo naturæ in persona individua.

Cauete, uigilate, & orate. Nescitis enim quando tempus sit. Sicut homo qui peregre agit, relicta domo sua, deditq; seruis suis potestatem, ac suum cuiq; opus, ianitori mandauit, ut uigilaret. Vigilate igitur. Nescitis enim quando dominus domus uenturus sit, uesperi, an medio noctis, an in gallicinio, an diluculo, ne si uenerit repente, offendat uos dormientes. Cæterum quæ dico uobis, omnibus dico, Vigilate.

Docetur uigilia.

Concludit hunc locum dominus, docens quid sancti in hisce turbis & expectatione iudicis & iudicij faciant. Cauete, inquit, ab illis, nimirum à quibus hucusq; cauere iussi, à pseudoprophetarum impostoris, ab insyncera & corrupta religione, & ab omnibus ijs quæ doctrinæ sanæ contrauenium. Vigilate item animo præsertim & corpore, ne somnus aliquis sathanicus mundi aut carnis abreptos, caligini noctis æternæ immergat. Orate quoq; ut uires & facultates iustas suppetat ille, sine cuius numine & auxilio nihil possumus sancti, sani & integri. Appendit & causſam quæ nos ad hanc diligentem excitet uigiliam. Nescitis quando illud appetat tempus, in quo uel iudex de improuiso ueniat, uel moriendum sit nobis, reddendaq; ratio de omnibus dictis,

factis atq; cogitationibus. Proinde in singula uigilandum erit momenta, quando non liceat uobis uel momento esse securis. His denuo connectit & elegantem parabolam. Vestræ, inquit, res perinde habent atq; seruorum, qui à domino potestatẽ acceperunt administrandæ domus, inter quos ianitor in primis mandatum accepit uigilandi contra furem nocturnum. Quemadmodum ergo singuli suum faciunt officium, ianitorq; sedulò & peruigil excubat, ita à uobis quoq; requiro ante omnia diligentẽ & fidelem uigiliam. Discedo enim & ego corpore, rediturus rursus suo tempore in iudicium. Ac hic nullam præscribo diem certam, nullum definitum tempus indico, duntaxat edico me uenturum certissime, & incerto quidem tempore. Semper itaq; uigilate expectantes meum illum aduentum. Plura require de his ex 24. & 25. cap. Matth. Partes noctis nominat Vesperam, Mediam noctem, Gallicinium, & Diluculum. Cæterum grammatici tradunt, ueteres noctem in hunc modum diuisisse, Occidente sole dicebatur uespera, ab eo tempore prima fax, deinde concubia & intempesta, quod noctis est medium. Mox inclinatio noctis, deinde gallicinium, inde conticinium, cum & galli conticescunt & homines etiamnum quiescunt. Post hæc diluculũ, quo rarescunt tenebræ, deinde mane clarum, &c. Intelligit per hæc omnia & singula temporis momẽta. Rursus ne quis nihil ad se pertinere putaret quod discipulis dictum est, subijcit ueluti epiphonema quoddam, Quod uobis dico, omnibus dico. Quid? Vigilate. Id nimirum quod iam inculcauit toties. Merito semper sonat nostris in auribus uox illa domini, Vigilate. Ad singulos enim diserte dirigitur, & dictat nobis quid tota uita nostra agamus. Vita nostra militia est super terram; perpetuæ ergo excubiæ seruandæ sunt. Ita uero claudit bonam euangelicæ historiæ partem Marcus, quam Passioni & Resurrectioni præmittit. Quasi diceret, Quid uero pluribus porrò opus? Audistis quid requirat à uobis dominus, tenetis quid agatis, perspicuum est quod omniũ operum nostrorum rationem poscet supremus iudex uiuorum & mortuorum Christus, & quod omnibus uobis de omnibus dictis & factis reddenda sit ratio, uidete ergo etiã atq; etiam ne segnes & socordes, securi atq; negligentes sitis. Scitis quis uobis sufficiat uires bene & recte agendi. Intelligitis quid rectum sit, quid prauum. Sectemini ergo recta, fugite praua, orate deum omnis boni largitorem, ut uires recta faciendi cõferat, quodq; reliquum est semper uigilate, expectantes in singula momenta redemptorem & liberationem uestram sempiternæq; uitæ requiem.

Partes noctis.

Com

COMMENTARIORVM IN
EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM
LIBER SEXTVS.

DESCENDIT *iam Marcus ad absolutam salutis nostræ perfectionem, nempe ad salutaris sacrificij & redemptionis nostræ per mortem Christi, descriptionem, in qua primum recensetcaussas mortis, quod uidelicet attinet aduersarios Christi, sacerdotes inquam & Iudam proditorem, qui cæcatus auaritia & inuidia uendidit utilissimo pretio dominum. Deinde commemorat extremam illam cœnam, in qua dominus acriter Iudæ flagitium protrahens accusat, ac sacramentum & memoraculum nostræ redemptionis instituit. Inde egreditur in montem oliuarum, in itinere disserit de graui illo offendiculo, quo collapsuri sint discipuli, Petrus in primis. In monte uero suppliciter orat patrẽ, discipulos autem dormitantes excitat. Interim accelerat cum cohorte sicariorum Iudas, osculoq; tradit dominum, qui protinus à scelerum ministris capitur. In ea turba Petrus, exempto gladio, pugnat, nequicquam. At dominus uim iniustam hostium grauiter increpat. Sed abducitur uinctus ad summum pontificem. Pontifex protinus cogit consilium seniorum sacerdotumq; contra dominum. In eo inquiruntur falsi testes in exitium Christi, sed frustra. Consurgens autem summus pontifex, mortis caussam quæstione ex Christo elicere cupit, ac rogat, num ipse sit dei filius Messias uerus? Quo annuente confirmanteq;, fertur in ipsum protinus à toto consilio sententia capitalis. Interea uero negat dominum Petrus in atrio pontificis. Diluculo facto abducitur Iesus ad Pilatum præsidem. At hic tentat experiturq; uaria, si eum quem innoxium esse intelligebat, liberare posset. Verum improbis populi uictus clamoribus, flagellatum Iesum tradit militibus crucifigendum. Abducitur ergo in locum Caluariæ, ubi inter duos latrones medius crucifigitur, uariaq; & tormenta & ludibria expertus, tandem expirat. Aeduntur mox stupenda prodigia, quibus permotus Centurio, pronunciat Christum esse filium dei. Ad uesperam uero eius diei sepelitur decentissime à Ioseph uiro honesto & pio. Cæterum tertia die resurgit ex mortuis, morte calcata. Id quod significantissime mulieribus ad sepulchrum uenientibus exponitur ab angelo. Postea Marcus historiam suam de Christo cœptam breuibus absoluturus, colligit attexitq; certa quædam argumenta seu euidentia testimonia, quibus approbet dominum uere resurrexisse ex mortuis. Postremo autem omnium exponit tria maxima religionis nostræ capita, ultimum uidelicet commissum domini, quo œconomiam ordinauit ecclesiasticam. Deinde Ascensionem domini in cœlos. Hinc fidem apostolorum domini exactissimam & successum felicem. Ita enim singula exequuti sunt uti mãdarat dominus, ac dominus cooperatus est ipsis, ut sanctissima mox in orbe emerserit ecclesia.*

CA. XIIII.

ERat autem pascha, & azyma post biduum. Et quærebãt summi sacerdotes & scribæ, quomodo eum per dolum comprehensum occiderent. Dicebant autem, Non in die festo, ne tumultus fiat populi.

Attingit mortis dominicæ alteram ex caussis pendentibus uidelicet ex hominibus, sacerdotum inuidiam & corruptelam extremã. Plura huius negotij inueniet, qui uolet, apud Matth. in cap. 26. & apud Ioan. in cap. 11.

Et cum esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, accumbente eo, uenit mulier habens alabastrum unguenti nardi pisticæ pretiosæ, & comminuto alabastro, effudit illi in caput. Erant autem qui indignabantur apud sese, dicentes, Quorsum facta est hæc unguenti perditio? Nam poterat hoc uendi pluris quàm trecentis denarijs ac dari pauperibus. Et fremebant aduersus illam. At Iesus dixit, Sinite illam, cur illi molestias exhibetis? Bonum opus operata est erga me. Semper enim pauperes habetis uobiscum, & quandocunq; uolueritis, potestis illis benefacere, me uero non semper habetis. Quod potuit hæc, fecit, præoccupauit ungere cor-

pus meum ad ſepulturam. Amen dico uobis, ubicunq; prædicatum fuerit euangelium hoc in totum mundum, etiam hoc quod fecit hæc, dicetur in memoriam ipſius.

Iudas proditor. Altera mortis dominicæ cauſſa attexitur, Iudæ infelicis & perditi inuidia & auaritia, quæ iam olim quidem fuerat in pectore ſordidiſſimo, nunc autem occaſione oblata inardeſcit magis ac erumpit. Illuſtrauimus hanc hiſtoriam pro noſtra tenuitate in Commentarijs ad Matth. qui eandem totidem ferè uerbis annumerat, niſi quod Marcus paulò eſt copioſior. Theophylactus diſputat hic de Marijs. Verba eius, ſi quis requirat, hæc ſunt, Videtur quibuſdam una eſſe Maria, ſed non ita eſt. Nam duæ ſunt. *Duæ Mariæ.* Vna quidē quæ apud Ioannē cōmemoratur & Lazari ſoror eſt. Altera quæ à reliquis tribus memoratur. Veruntamen attende & intelliges quod tres ſunt. Apud Ioannem quidem una, apud Lucam alia, & apud duos illos adhuc una alia. Nam illa quæ apud Lucam commemoratur, meretrix erat, et in medio prædicationis Chriſti ad Chriſtum uenit. Quæ apud Matthæum nominatur, tempore paſſionis, & non dicitur meretrix, &c. Cæterum propter huiuſmodi cauſſas nequaquā arbitror contentionis funē eſſe ducendum, ſicut & illorū proteruia merito improbatur omnibus bonis, qui mox pro hæreticis damnant, qui ſtudio indagandæ ueritatis aliquid proferunt in medium de tribus Marijs, quaſi ipſi demum hæc confinxerint, cum uideas & Theophylactū his, non calumniatoribus illis, accedere. Verum de his alij.

Et Iudas Iſcariotes unus è duodecim, abijt ad ſummos ſacerdotes, ut proderet eum illis. Hoc autem illi audito, gauiſi ſunt & polliciti ſunt ei pecuniam ſe daturos. Et quærebat quomodo opportune illum traderet.

Abſoluitur iam opere deſtinatum conceptumq; ex inuidia & auaritia flagitiū crudeliſſimum. Nam affectus conſultor peſſimus, qui ad occaſionem oblatam hucuſque delituerat, nunc aperta uia prorumpit in ſcelus. Abit enim Iudas præceps in exitium, atq; dominum ſuum male gratus, imò impijſſimus diſcipulus, uendit & prodit.

Ac primo die azymorum cum paſcha immolarent, dicunt illi diſcipuli ipſius, Vbi uis ut profecti paremus, ut edas paſcha? Et emittit duos è diſcipulis ſuis, & dicit illis, Ite in ciuitatē, & occurret uobis homo, fictile uas aquæ baiulans, ſequimini illum, & quocunq; ingreſſus fuerit, dicite patrifamiliâs, Magiſter dicit, ubi eſt diuerſorium, ubi paſcha cum diſcipulis meis edam? Et ille uobis oſtendet cœnaculum magnum, ſtratum, paratū, illic parate nobis. Et exierunt diſcipuli eius, & uenerunt in ciuitatem, & repererunt quemadmodum dixerat illis, parauerunt q; paſcha.

Deſcendit modo ad deſcriptionem cœnæ ſalutaribus doctrinis refertiſſimæ, ante omnia indicans per quos, ubi, & quomodo parata ſit. Lucas nominatim exprimit diſcipulos illos Petrum & Ioannem. Iubet ingredi urbem. Nam extra Hieroſolymorū urbem nephas erat immolare paſcha, Deut. 16. De prouidentia dei & mirifica prædi-
Paſcha editur et immolatur. ctione domini, dixi apud Matth. 26. cap. Quemadmodū uero paſcha non immolatur, ita non editur. Nam paſcha eſt tranſitus ſeu tranſilitio. Hæc uero nec editur, nec ſacrificatur. Illud autem quod memoriæ teſtificationiſq; gratia inſtitutū eſt, agnus, & editur & immolatur. Solet enim ſcriptura ſignis rerum dare nomina. Id quod iam ſæpe annotauimus.

Et cum adueſperaſſet, uenit cum duodecim, cumq; accumberēt ede-
rentq;

rẽtq́, dixit Iesus, Amẽ dico uobis, Vnus ex uobis me proditurus est qui edit mecum. At illi cœperunt affici mœstitia, ac dicere illi sigillatim, Nunquid ego? Et alius, Nunquid ego? Ille uero respondens, dixit illis, Vnus è duodecim qui intingit mecũ in catinum. Filius quidem hominis abit, sicut scriptum est de ipso. Væ autem homini illi, per quem filius hominis proditur. Bonum erat illi, si natus non fuisset homo ille.

Primum quod in cœna agit dominus, increpat & protrahit indignum Iudæ facinus, si forte is in semetipsum descendens aliquid cogitaret de pœnitentia. Vtile enim est in ecclesia perfrequenter incusare scelera & obiurgare flagitiosos, si forte concedat ipsis dominus pœnitẽtiam. Pernitiosissimum est uitijs & facinoribus parcere & quodammodo palpare formidoloso silentio. Plura alia quoq; discuntur ex hoc loco, sicut uidere licet apud Matth. in 26. cap. *Protrahitur scelus.*

Et edentibus illis, sumpto Iesus pane, cũ benedixisset, fregit, & dedit illis, ac dixit, Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Et accepto poculo cum gratias egisset, dedit illis, Et biberunt ex eo omnes. Et dixit illis, Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effunditur. Amen dico uobis, posthac haudquaquam bibam de fructu uitis, usq; ad diem illum, cum illum bibam nouum in regno dei. Et cum hymnum dixissent, exierunt in montem oliuarum.

Postquam abunde satis monuisset proditorem, & is non resipisceret, relinquit illum suæ conscientiæ & deo suo iudicandum, ipse uero nihilominus in cœptis institutisq; diuinis pergit, ac modo instituit in locũ paschæ, quod aboleuit, Cœnam mysticam, sacramentum corporis traditi & sanguinis effusi pro nobis, redemptionis nostrę memoraculum testimoniumq; atq; eucharistiam siue gratiarumactionem, unà cum fœderatione. De quibus dixi in Comment. meis ad Matth. 26. cap. *Instituitur cœna dominica.*

Recte autem Eras. in Annotationibus suis, Benedicere, inquit, nõ est pingere gestu manus signũ crucis, sed laudes deo canere, & uerba boni ominis dicere. Nam non Eras. modo, sed & euangelistę utuntur uocabulo gratiarũactionis. Vbi enim Marcus habet ϑυλογήσας, Matthæus, Lucas & Paulus habent ϑυχαριστήσας, quo uerbo & Marcus paulò post ipse utens dicit, Et accepto poculo ϑυχαριστήσας, cum scilicet gratias egisset, dedit illis. Quis ergo nõ uideat benedicere aliud nõ esse, quàm gratias agere & laudes deo canere? Sumptum est hoc ex ueteri idiomate. Quoties enim legas in Psalmis benedicendi uerbum pro celebrandi & gratias agendi accipi? Id quod propter eos tam diligenter moneo, qui uerbis prolatis nescio quã uirtutem tribuunt, eo quod Marcus dixerit dominum benedixisse, & Paulus appellet panem & poculum, panem & poculum benedictionis: quasi uero non intelligamus id perinde ualere ac si dixisset, panem & poculum gratiarumactionis quibus gratias agimus, id est, in quorum celebratione & usu gratias agimus, sicuti & dominum uidemus gratias egisse, nulla autem pronunciasse uerba aut ui uerborum panem cõuertisse in carnem. Verbis aliam uim quàm significandi, docendi, admonendi, testificandi, & quæ alia huius generis sunt tribuere, est incantationis crimen firmare. Proinde parum refert siue sentias apostolos primum quidem bibisse ex poculo, mox audisse quæ adiecit dominus, Hic est sanguis meus &c. quem sensum uidetur sequutus esse Marcus: siue sentias primũ quidem pronunciasse dominũ, Hic est sanguis meus &c. deinde uero bibisse è poculo. Nihil enim *Benedicere quid? & calix benedictionis quid?*

uideo periculi, nisi quod Papistæ fingunt cum sua illa consecratione. Certe si standum est nudis euāgelij uerbis, Marcus ait discipulos poculum bibisse mysticum, ante consecrationem. Si uero eum modum explicare libet per tropum (cui nihil reclamauero) nempe per hypallagen, siue hysterologiam, qua iustus ordo rerum gestarum turbatur, uel inuertitur, ut cum posterius factum aut dictū narratur, quod prius factum est, admissi sunt certè tropi in contextum uerborum cœnæ domini. Cur ergo damnantur à magistro in sententijs pro hæreticis, qui uerbum cœnæ, Hoc est corpus meum, explicant per tropum? Cur clamant nonnulli nullum tropum in uerbis cœnæ admittendum? An uero licet comminisci tropum in loco alio, & in simili non licet? Quid clarius, quàm quod de poculo iuxta literam, non de uino dicitur, quod sit & sanguis, & testamentum Christi? Lucas enim, Hoc poculum nouum testamentum, ait, in meo sanguine. At quis hęc non explicarit per synecdochen nisi qui poculum pro uino bibere malit? Hæc annoto paucis, ut uideant uiri boni & cordati, quàm inique nobiscum agatur hodie, qui troporū beneficio & auxilio quædā huius cœnæ mysticæ explicamus. Sed de his aliâs abunde satis disputatum est. Theophyl. arbitratur dominū non tantum precandi gratia exijsse in montē oliuarum, sed ne qua oriretur turba, si caperetur in urbe &c.

Tropus in uerbis cœnæ domini.

Et dicit illis Iesus, Omnes offendemini in me in nocte hac: quia scriptum est, Percutiam pastorem, & dispergentur oues: sed posteaquam resurrexero, præcedam uos in Galilæam. Petrus autē dixit illi, Etiamsi omnes offendantur, non tamen ego. Et dicit illi Iesus, Amen dico tibi, hodie in nocte hac, priusquam bis gallus cecinerit, ter abnegabis me. At ille uehemētius dicebat, Imò si me oportuerit commori tibi, haudquaquam te abnegauerim. Similiter autem & omnes dicebant.

Prædicit iam in itinere discipulis quid sint passuri, & adhibet uaticinium propheticum, quod explicat. Addit & consolationem. Porrò in Petro apparet humana & imbecillitas & arrogantia siue temeritas. Et quia hæc ualde displicet domino, coercet illam uerbis & prædictione turpis abnegationis. Ter, inquit, negabis me priusquam gallus bis cecinerit: id est priusquam tertia noctis pars præterierit, ter me negauisti. De partibus noctis dixi aliâs. Nec solus Petrus pollicetur splendide, idem faciunt & cæteri, sed dilabuntur fuga, & ipsi negaturi dominum, si ita fors tulisset, ut in tales incidissent aduersarios, in quales inciderat Petrus. Sed hęc est fors humanæ imbecillitatis & miseriæ. Beatus qui agnoscit, humiliter sapit, sibi suisq; uiribus minimum aut planè nihil tribuit, sed totus ab auxilio & misericordia dei dependet.

Petri temeritas

Et ueniunt in locum cuius nomen Gethsemani. Et dicit discipulis suis, Sedete hic donec digressus orauero. Et assumit Petrum, & Iacobū, & Ioannem secum, cœpitq; expauescere & angi. Et dicit illis, Dolore afficitur anima mea usq; ad mortem: manete hic & uigilate. Et progressus paululum, prolapsus est in terram, & orabat, ut si fieri posset, transiret ab ipso hora: & dicebat, Abba pater, omnia possibilia sunt tibi, transfer poculum hoc à me: ueruntamen non quod ego uelim, sed quod tu. Et uenit & offendit eos dormientes: dicitq; Petro, Simon, dormis? non potuisti unam horam uigilare? Vigilate & orate, ne incidatis in tentationē. Spiri

tus

tus quidem promptus est, at caro infirma. Et rursum digressus, orabat, & eundem dixit sermonem. Et reuersus inuenit eos rursus dormientes. Erant enim oculi eorum grauati, neq; sciebant quid illi responderent. Et uenit tertiò, dicitq; illis, Dormite posthac, & requiescite. Sufficit. Venit hora, Ecce traditur filius hominis in manus peccatorũ. Surgite, eamus. Ecce proditor mei appropinquat.

Exponit porrò quid gestum & dictum sit in itinere uersus montem oliuarum, præsertim quomodo pauore correptus dominus secum luctarit. Fuit illi hæc luc- *De pauore Christi domini.*
ta longe grauissima. Marcus enim ἠρξατο ἀδημονεῖν, cœpit, inquit, angi siue afflictari, non tantum expauescere. Significat enim uox Græca impotenter angi mente, ita ut præ dolore tibijpsi ereptus concidas, & quid agas nescias. Tam uidelicet uere uerum & naturalem hominem induit ipse dei filius nobis per omnia consubstantialem, qui uere & seriò, non ficte neq; leuiter sed grauissime indoluit & afflictatus est. Vnde non immerito ab Isaia propheta nuncupatus est uir dolorum. In his autem ærumnis & anxietatibus proxima confugit ad deum patrem tanq; in asylum tutissimum atq; unicum omnium mœstorum afflictorumq; consolatorem fidelissimum. Huic supplicat intentissime. Consule Comment. nostros in Matt. Ibi subindicaui quosdam interpretum hæc domini uerba, Dormite posthac &c. sic enarrare, quasi dominus aliquid suis concesserit quietis, quos tamen in aduentu cohortis rursus excitarit dicens, Sufficit. Venit hora. Atq; hunc sensum uidetur prima fronte exhibere Marcus, sed expensis collatisq; omnibus uidetur dominus grauiter increpasse suos ac per ironiam dixisse Dormite &c. Ad quem modũ & Theophylactus exponẽs dicit, Per ironiam hæc loquitur: quia sciebat uenire proditorem &c. Cæterum si quis omnino contendat permissu domini illos dormiuisse aliquantisper, non admodum reclamauero. Non enim uideo quid absurdi & impij ex eo sensu sequatur: imò commendabit nobis factum domini benignitatem diuinam sanctamq; indulgentiam, qua fit ut in media infirmitate concedatur nobis aliquid, nec ad uiuum & rigide requiratur à nobis protinus indolentia Stoicorum.

Et continuo adhuc eo loquente accedit Iudas, qui erat unus è duodecim, & cum illo turba multa, cum gladijs & fustibus à summis sacerdotibus, & scribis & senioribus. Dederat autem proditor eius commune signum illis, dicẽs, Quẽcunq; osculatus fuero, is est, comprehendite illum & abducite caute. Et cum uenisset, protinus accessit ad illum, dicitq; ei, Rabbi rabbi, ac deosculatus est eum. Illi uero iniecerunt in illum manus suas, & comprehenderunt eum.

Describit porrò Marcus quomodo dominus post preces confirmatus & con- *Obuiam it dominus morti.*
fortatus, alacri animo obuiam ierit morti & tormẽtis, proditus item traditusq; ab intimo discipulo, captus sit à ministris non sacerdotum, sed scelerum. Omnia explicata sunt in Comment. ad Mat. Id uero sordidam & extremam Iudę auaritiam arguit, quod tam anxie sollicitus est ne elabatur, Quẽcunq;, inquit, osculatus fuero, is est Iesus quęsitus à nobis, uos illi manus injjcite, & abducite caute, prudẽter, exactaq; custodia, ne uidelicet elabatur. Nam hinc conijcimus sacerdotes cauisse ne numeraretur pecunia, nisi Iesus esset comprehensus. Typum gerit Iudas omnium eorum qui in rebus quibuslibet respiciunt ad quæstum & ut numeretur pe-

cunia, nulla interim habita ratione ullius sceleris, crudelitatis, atrocissimæ ue rei. Qui istiusmodi sunt, perfricuerũt frontem, nec porrò erubescere norunt. Et quod ingeminat uocem Rabbi rabbi, significationem præ se fert animi ardentissimi im pensęq; magistrum diligentis uenerantisq;. Tantum scilicet malum est hypocri sis, tantum malum est auaritia. Obstandum ergo principijs est, ne nos præcipites in quælibet flagitia det malesuada & inexplebilis semper auaritia.

Vnus autem quispiam astantium, educto gladio, percussit seruum summi sacerdotis, & amputauit eius auriculam. Et respondens Iesus dixit illis, Tanquam ad latronem existis cum gladijs ac fustibus ad com prehendendum me: quotidie eram apud uos in templo docens & non comprehendistis me: sed ut adimpleantur scripturæ.

Vincitur dominus.

Addit paucis Marcus quæ acciderint in turba furiosa qua dominus uinctus est. Principio non tam feliciter quàm animose pugnat Petrus: qui tamen mox reprimitur à domino. Explicata hæc sunt in 26. ca. Matt. & Ioan. 18. cap. Nescio quã uere arbitretur Theophyl. Petri nomen non expressisse Marcum, ne nimium laudaret præceptorem. Sed abundet quisq; suo sensu. Deinde grauiter accusans obiurgat hostium uim iniustam, demonstrans ipsis quod contra æquum ius & phas designent, quod faciunt. Quæ & ipsa exposita sunt apud Matth. Abruptus uero sermo est, Sed ut adimpleantur scripturę: subaudiendum itaq;, Hęc fiunt à uobis, ut adimpleantur &c. Porrò notum est loquutionis genus, Vt impleantur scripturæ. Nam ministri sacerdotum non capiebant indignisq; modis tractabant dominum, ut sic satisfacerent scripturæ, quam uel ignorabant, uel cui non credebant. Sed diuina ordinatione sic gestæ sunt res omnes ab aduersarijs domini, ut gerendas prædixerant prophetæ. Diuersis autem mentibus accedebant, qui res hic gerebant. Nam alius aliud spectabat. Dominus uoluit ita genus humanum redimere. Iudas uoluit sibi parare pecuniam. Ministri uoluerunt ministerio suo sibi demereri dominos. Erant qui cuperent animi explere libidinem. Deus autem in his omnibus generis humani operatus est salutem, ordineq; deduxit omnia æquissimo, bona merita coronans, iniusta facta iuste puniens, ubiq; ueritatem suam infallibilem liberãs. Si uero quis locum requirat qui prædicat filium hominis capiendum à peccatoribus, occurrit cap. Isaiæ 53. occurrit & illud Ieremiæ è Threnis ex ca. 4. Spiritus faciei nostræ Christus domini, captus est in retibus eorum: de quo nos dicebamus, In umbra eius uiuemus inter gentes. Reuera enim Christus dominus spiritus est faciei nostræ aut narium nostrorum, id est deus uerus per quem uiuimus, in quo sumus, is est respiratio ac refocillatio nostra. Sequitur enim, In umbra eius uiuemus inter gentes. Ligatus est itaq; ut nos resolueret à reatu ac morte, uiuificaretq; & conseruaret: ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Vt impleretur scriptura, exponitur.

Matth. 11.

Et relicto illo, omnes fugerunt. Et unusquispiam adolescentulus sequebatur illum circumamictus sindone super nudum, & comprehenderunt illum iuuenes. Ille uero relicta sindone, nudus effugit ab illis.

Adolescens nudus effugit.

Maximi metus singulare exemplum hoc est, quod omnes discipuli fuga celeri eaq; turpi sibi ac uitæ suæ consulunt, in primis autem quod adolescens ille relicta in manibus persequutorum sindone, nudus est elapsus. Dubium autem est an nudo omnibusq; uestibus detecto corpore, effugerit, an nudato modo corpore extrema ueste, utpote pallio ex sindone, ut interiore nihilominus tectus, euaserit. Id qd ueri similius esse uidetur; præsertim cum legamus etiam dominum positis uesti-

bus

bus ſuis lauiſſe pedes diſcipulorum, quod ſanè honeſtas publica exponere iubet de externis modo ueſtibus, quas ferè aliquid acturi deponimus, quo ſimus expeditiores. Ita apparet hunc quoq; iuuenem pallium aut tectorium ſuum reliquiſſe in comprehendentium manibus, quo & iactura ueſtis uitæ ſuæ conſuleret, & ad fugam eſſet expeditior. Porrò Sindon inter linea ueſtimẽta numeratur à Polluce libro 7. eſtq; amictus ex lino Aegyptiaco: ſic dicta, quia primum in Sidone urbe huiuſmodi amictus fieri cœpit, ob id Tyria à Martiale dicta. Gregorius ſuſpicatur hunc adoleſcentulum fuiſſe Ioannem: quod tamen non eſt ueriſimile, maxime ſi hiſtoriam paſſionis deſcriptam à Ioanne excutias, in qua legis diſcipulũ illum, Ioannem nimirum, introduxiſſe Petrum in atrium, quod notus eſſet pontifici. Si autem ſemel elapſus fuiſſet è manibus miniſtrorũ, rurſus ipſos nequaquam adiiſſet. Theophylactus, Hic, inquit, adoleſcentulus erat quidam è domo ubi comederant paſcha. Quidam autem dicunt illum fuiſſe Iacobum fratrem domini, qui cognominabatur Iuſtus. Hic enim una duntaxat ueſte per omnẽ ſuam uitam uſus eſt. Hæc ille. Sed quia nihil ex his omnibus certi colligas, nihil certi quoq; pronunciabis. Neq; admodum ſcire refert quis fuerit: neq; admodum ſplendidum afferret fructum ſi ſciremus. Certè ſi utile & ſalutare nobis fuiſſet, non tacuiſſet ſpiritus domini, qui in aliis minutioribus prodigioſe etiam diligens eſt. Hac imagine uoluit Marcus magnam miniſtrorum ſæuitiam deſcribere. Sunt qui putent adoleſcentulum quendam ex urbe prodiiſſe cum diſcipulis, pij alicuius hominis filiolum: rurſus autem cum cohorte, ut fit, prodiiſſe alios adoleſcentulos, qui ex ſæuitia maiorum & uinculis domini ferociores facti, inuolarint in puerum illum apoſtolorum comitem: ideoq; ſcripſiſſe Marcum, adoleſcentes comprehendiſſe adoleſcentulum ſindone amictum. Quod ſi hi ſenſum aſſequuti ſunt, relinquitur in eo nobis documentum, quid apud iuniores poſſit ſeniorum exemplum, quodq; perſequutione ſemel cœpta, etiam ad adoleſcentes & omnis generis ſexum perueniat, nemini tandem parcatur, adeò ut & iuuenes ferociant in æquales ſuos, propter diſſimilis ſtudium religionis. Et certè quod tum adumbratum eſt in paſſione domini, completur etiam hodie pluſquam atrociter.

Et abduxerunt Ieſum ad ſummum ſacerdotem, & conueniunt ad illum omnes ſummi ſacerdotes, & ſeniores & ſcribæ. Et Petrus eminus ſequebatur illũ, donec ueniſſet in atrium ſummi ſacerdotis: & ſedebat unà cum miniſtris, & calefiebat ad lumen.

Res geſtæ in Curia põtificis

Viam ſternit nunc ad deſcribendas res in palatio ſanctiſſimi & ſummi pontificis. Ad Caiapham enim, qui tum erat ſummus pontifex, deducitur. Annas quod ſacerdotio tum non fungeretur, cauſam eius ſuſcipere excutere iudicareq; noluit. Coeunt autem in palatio pontificis omnes doctores monachi & ſenatores populi Iudaici. Amoris argumentum eſt quod Petrus ſequitur dominum: timoris quod eminus ſequitur: ſtultitiæ & incogitantiæ quod inſerit ſe gregi aulicorum pontificis. Nam calefiebat unà inter miniſtros ad lumẽ, ad ignem inquam, qui ex effectu lumen quoq; appellatur, quanquam Eraſ. annotet Ad lumen, referendum eſſe ad ſedens, non ad calefaciebat. Siquidem lumen illum prodidit. Vide quæ annotauerimus in 26. cap. Matth. Si uero miraris cur Marcus dicat ſummos ſacerdotes omnes conueniſſe in palatio ſummi ſacerdotis, audi Theophylactum dicentem, Cum lex præciperet unũ eſſe pontificem per totam uitam, multi tunc erant, ementes uidelicet quotannis à Romanis magiſtratibus primatum. Pontifices itaque dicit eos, qui tempus ſuum iam exegerant & pontificatum depoſuerant.

Præterea uideri poterãt ſummi ſacerdotes & illi eſſe, qui authoritate præpollebãt.

Summi uero ſacerdotes & totum conſilium quærebant aduerſus leſum teſtimonium, ut morti eum traderent, nec inueniebant. Nam multi falſum teſtimonium dicebant aduerſus illum: nec erant ſatis idonea teſtimonia. Et quidam aſſurgebant & falſum teſtimonium ferebant aduerſus illum, dicentes, Nos audiuimus eum dicẽtem, Ego diruam templum hoc manufactum, & tribus diebus aliud non manufactum extruam. Et ne ſic quidem ſatis idonea erant teſtimonia illorum.

Exponit paucis quid actum ſit in palatio ſiue cõſiſtorio ſummi pontificis. Summum ius & iuſtitiam abſolutiſſimã, ſumma iniuria exquiſitiſſimaq; iniuſtitia opprimere conantur. Verum quo magis premitur uirtus, hoc eniteſcit fortius. Inclareſcit ergo in hac actione iniuſta, ſynceriſſima Chriſti innocentia, quę quidem noſtra fit per fidem in Chriſtũ. Cætera pete ex Comment. in Matt. 26. Obſeruabis autem quod Marcus ait, καὶ ἴσαι αἱ μαρτυρίαι οὐκ ἦσαν, & æqualia uel paria (interpretuertit idonea) teſtimonia non erant. Ergo non conſenſerunt: at ex diſcrepantia teſtimoniorum ſolet colligi falſitas & mendacium teſtium. Inæqualia ergo dixit falſa, & parum idonea iuſta & euidentia. Obſeruabis item teſtium impudens mendacium, quod conficiunt adiectis aliquot uerbis, quibus & uerba & ſenſum uerborum domini inuertunt. Nihil enim dixerat de templo manufacto, nihil de extructione, ſed dixerat, Soluite templum hoc, & in triduo excitabo illud. Tanta uero erat domini innocentia, ut nullæ artes, nulla mendacia, nulla denique ſacerdotum authoritas & uis, ipſam uel tantillum labefactare poſſet. Vicit ergo reuera in ſacerdotum iudicio, qui uinci uidebatur. Concludens enim Marcus hunc locum, Quanquam multi contra dominum proferrent teſtimonia, nulla tamen uiſa ſunt ſatis idonea eſſe, propter quæ capitalis in ipſum ferretur ſententia.

Teſtimonia falſa.

Et ſurgens ſummus ſacerdos in medium, interrogabat leſum, dicens, Non reſpondes quicq̃? Quid iſti aduerſum te teſtificantur? At ille tacebat, neq; quicq̃ reſpondebat. Rurſum ſummus ſacerdos interrogabat eum, & dicit illi, Es tu ille Chriſtus, filius illius benedicti? Ieſus aũt dixit, Ego ſum: & uidebitis filium hominis ſedentem à dextra potentiæ, & uenientem cũ nubibus cœli. Summus aũt ſacerdos dilaceratis ueſtibus ſuis, dicit, Quid præterea opus habemus teſtibus? Audiſtis blaſphemiam. Quid uobis uidetur? Illi uero omnes cõdemnauerunt eum eſſe reũ mortis. Et cœperunt quidã inſpuere in eum, & obuelare faciem illius, & colaphis eũ cædere, & dicere illi, Diuina. Ac miniſtri alapas illi impingebãt.

Damnatur Chriſtus à ſacerdotibus.

Arte & uerſutia elicit pontifex quod regerat in caput ſaluatoris condemnetq;. Itaq; Marcus narrat quæ fuerit cauſa ob quam condemnatus ſit: & quid irrogatum condemnato, quantiſper propter ueritatis confeſſionem ſalutarem affectus ſit contumelijs ludibrijſq;. Quæ cum explicata ſint Comment. ad Matth. non eſt quod repetam. Adijcio nunc ſaltem quæ Paraphraſtes in hunc locũ dedit. Ea ſunt huiuſmodi, Nunc conſyderandum eſt quibus modis in talibus conſilijs tractetur ueritas euangelica, ubi ſacerdos impius pro deo cupiens haberi, non fert prædicari gloriam filij dei: ubi ſcribæ tacent quod didicerunt ex prophetis: ubi primores populi conſpirant cum templi primatibus: ubi adſunt miniſtri milites q; conducti & ad omne ſcelus ſuapte malitia parati. Iam enim ueluti rite damnatum Ieſum,

quidam

quidam ex illis cœperunt conſpuere: alij uelo obtegere faciem eius, & colaphis impactis dicere illi, Vaticinare quis te percuſſit, huiuſmodi ludibrijs exprobrantes illi, quod ſe paſſus eſſet haberi prophetam &c.

Et cum eſſet Petrus in atrio infra, uenit una ancillarum ſummi ſacerdotis, cumq; uidiſſet Petrum calefacientem ſe, intuita illum, dicit, Et tu cũ Nazareno Ieſu fuiſti? At ille negauit dicens, Non noui, neq; ſcio quid dicas. Et exiuit foras in ueſtibulum, & gallus cecinit. Et ancilla cum uidiſſet eum, rurſum cœpit dicere his qui aſtabant, Hic ex illis eſt. At ille rurſum negabat. Ac paulò poſt iterum qui aſtabant, dicebant Petro, Vere ex illis es. Nam & Galilæus es: & ſermo tuus conuenit. At ille cœpit execrari ac deierare, Non noui hominem iſtum de quo dicitis. Et ſecundò gallus cecinit. Recordatusq; eſt Petrus uerbi quod dixerat illi Ieſus, Priuſquam gallus cecinerit bis, abnegabis me ter: cœpitq; flere.

Quæ ad expoſitionem huius loci pertinent, expoſui pro mea tenuitate in cap. 26. Matthæi. Nulla autem diſcrepantia eſt inter Matth. & Marcum, inter Lucam & Ioan. quod attinet ancillam, locum & modum abnegationis S. Petri. De qua re alij diſſeruerunt fuſiſſime: ſed & attentus Lector facile componet omnes ut optime inter ſe conueniant. Cæterum Græce multo uiuidius efficax Petri pœnitentia animusq; impenſe ſaucius exprimitur, quàm aſſequatur interpres Latinus. Nam legis, καὶ ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, & erũpens fleuit: aut prorupit in fletum. Nam ἐπιβάλλειν ſignificat etiam impetum ſumere ad aliquid agendum. Marcus ergo hac uoce affectum Petri quaſi oculis contemplandum obiecit. Quaſi dicat, Petrus expenſa indignitate rei cõmiſſæ, grauiter indoluit, atq; mox in fletum prorupit uberrimum. Sic autem reliquit omnibus peccatoribus, iuſtum uerumq; pœnitentię exemplũ. *Pœnitentia Petri uera.*

CAP. XV.

Et confeſtim diluculo conſilio inito ſummi ſacerdotes cum ſenioribus & ſcribis ac toto conſeſſu, uinctum Ieſum abduxerunt, tradiderũtq; Pilato. Et interrogauit eum Pilatus, Es tu ille rex Iudæorum? At ille reſpondens, dixit illi, Tu dicis. Et accuſabant eum ſacerdotes de multis. Pilatus autem rurſum interrogauit eum, dicens, Non reſpõdes quicquam? Ecce quàm multa aduerſus te teſtantur. Ieſus autem nihil quicquam reſpondit amplius: adeò ut admiraretur Pilatus.

Narrat porrò Marcus quæ geſta ſint cum domino coram præſide Pilato, cui à Iudæis non niſi capite plectendi offerebantur. Singula copioſius enarrata ſunt apud Matth. atq; Ioannem. *Acta apud Pilatum.*

Cæterum in feſto dimittebat illis unum uinctum, quemcunq; poſtulaſſent. Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum ſeditionis authoribus fuerat uinctus, qui per ſeditionem cædem patrauerant. Et cum exclamaſſet turba, cœpit poſtulare ut hoc faceret quod ſemper facere conſueuiſſet. Pilatus autem reſpondit eis, dicens, Vultis dimittam uobis regem iſtum Iudæorum? Sciebat enim quod per inuidiam tradidiſſent illum ſummi ſacerdotes. Summi uero ſacerdotes concitauerunt turbam, ut potius Barabbam dimitteret ipſis. Pilatus autem rurſum reſpõdens,

dixit illis, Quid igitur uultis faciam ei quem dicitis regem Iudæorum? At illi rursum clamauerunt, Crucifige illum. Pilatus autem dicebat illis, Quidnam mali fecit? At illi uehementius clamauerunt, Crucifige eum. Pilatus uero uolens turbæ satisfacere, dimisit illis Barabbam, & tradidit Iesum flagellatum ad crucifigendum.

Conatus præsidis significatur, quo nitebatur in nocentē & nihil mali meritum liberare, sed frustra. Vincebatur enim ab improbitate Iudaica. Deinde non agebat serio Pilatus tantaq; constantia quanta decuisset ac opus fuerat. Copiosiora inuenies apud Matth. & Ioannem.

Milites aūt abduxerunt eum intrò in atrium, quod est prætorium, & conuocant totam cohortem induuntq; illum purpura, & circumponunt ei quam plexerant spineam coronam, cœperuntq; salutare illum, Aue rex Iudæorum. Et uerberabant illius caput arundine, & inspuebant in illum, positisq; genibus illū adorabant. Et cū illusissent ei, exuerunt eum purpura, & induerunt illum uestibus propriis, educuntq; eum ut eum crucifigerent. Et coegerunt prætereuntē quendam Simonem Cyrenensem, uenientem ex agro, patrē Alexandri & Rufi, ut gestaret crucē eius.

Notauit prius quid dominus passus sit à ministris Iudæorum in palatio pontificis, iam docet quid post condemnatum dominum à ministris ethnici prę sidis, gentilibus inquam, in prętorio sustinuerit: denicq; quomodo ductus sit ad supplicium crucis. De singulis disputatum est fuse apud Matth. & Ioan.

Et ducunt eum in Golgotha locum, qui est interpretatione Caluarię locus, dederuntq; illi bibere uinum myrrhinum: sed ille non sumpsit. Cumq; crucifixissent eum, partiti sunt uestimenta eius, mittentes sortem super illa quis quid tolleret. Erat autem hora tertia cum crucifixerunt eum. Et erat inscriptio causſæ illius inscripta, Rex Iudæorum. Cum eo autem crucifigunt duos latrones, unum à dextra, & alterū à sinistra eius. Et impleta est scriptura quæ dicit, Et cum iniquis deputatus est. Et qui prætereibant conuiciabantur illi, mouentes capita sua, ac dicentes, Vah, qui demoliris templum, & in tribus diebus extruis. Serua teipsum & descende de cruce. Similiter & summi sacerdotes illudentes inter sese cum scribis, dicebant, Alios seruauit, seipsum seruare non potest. Christus rex Israelis descēdat nunc de cruce, ut uideamus & credamus. Et qui crucifixi fuerant cum illo, probra iaciebant in eum. Cum uero facta esset hora sexta, tenebræ ortæ sunt super totam terram usq; ad horam nonam. Et hora nona clamauit Iesus uoce magna, dicens, Eloi, Eloi, lama sabachthani: quod est si interpreteris, Deus meus, deus meus, cur me deseruisti? Quod quidam astantium cum audissent, dicebant, Ecce Heliam uocat. Accurrit autem quidam & impleta spongia aceto, impositaq; arundini, potum dabat ei, dicens, Sinite, uideamus an uenturus sit Helias ad deponendum eum. Iesus autem emissa uoce magna, expirauit.

Describit

Describit diligenter quid post condemnationem factum sit in loco Caluariæ, quomodo uidelicet Christus inter latrones affixus sit cruci: quid egerit & dixerit in cruce, quæ denicp circa ipsum gesta sint, & quomodo expirauerit tandem. Tractata sunt hæc omnia apud Matt. & Ioan. in Comment. nostris. Ibidem disputatū est & de hora 3. & 6. qua euangelistæ dominum crucifixum dicunt. A nostra interpretatione non multum dissentit S. Augustinus, qui Tract. in Ioan. 117. Quid est, ait, quod Marcus euangelista dicit, Erat aūt hora tertia & crucifixerunt eum, nisi quia hora tertia crucifixus est dominus linguis Iudæorum, hora sexta manibus militū &c. Similia tradit enarrat. in Psal. 63. De tenebris Theophyl. Tenebræ factæ sunt, inquit, nō in uno loco, sed super totam terram: & siquidem fuisset tempus eclipsis, potuisset quis dicere, naturale fuisse deliquium, nunc autem decima quarta fuit lunæ, quando iuxta naturam deliquium fieri impossibile est. Libet hic quocp præstantiss. Christi Iesu martyris & presbyteri Antiocheni, Luciani testimonium hac de re inferere ex 9. lib. Eccles. hist. cap. 6. Eusebij, necp ingratum fore lectoribus puto si paulò altius repetiuero, Omnipotens deus, inquit, quem nō nostris manibus fictum, sed cuius nos decebat esse figmentum, errores miseratus humanos, sapientiam suam misit in hunc mundum, carne uestitam, quę nos doceret deum, qui cœlum fecisset & terram, non in manufactis, sed in æternis atcp inuisibilibus requirendum. Vitæ etiam nobis leges, ac disciplinæ præcepta constituit, seruare parsimoniam, paupertate gaudere, mansuetudinem colere, studere †pietati, puritatem cordis amplecti, patientiam custodire. Inde est quod ipse qui erat immortalis, utpote uerbum & sapientia dei, morti se præbuit, quo nobis in corpore positus patiētiæ præberet exemplum. Sed nec nos sua morte decepit, quibus post tertium diem resurrexit, innocens, immaculatus & purus, ad hoc solum mortem suscepit, ut eam uinceret resurgendo. Quæ autem dico, non sunt in obscuro gesta loco, nec testibus indigent. Pars penè mundi iam maior huic ueritati astipulatur, urbes integræ: aut si in his suspectum aliquid uidetur, cōtestatur de his etiam agrestis manus, ignara figmenti. Si minus adhuc creditur, adhibebo uobis etiam loci ipsius, in quo res gesta est testimoniū. Astipulatur his ipse in Hierosolymis locus, & Golgothana rupes sub patibuli onere disrupta. Antrum quocp illud quod auulsis inferni ianuis, corpus denuo reddidit animatum, quo purius deinde ferretur ad cœlum. Aut si adhuc uobis minus digna uidentur hæc, quæ terrenam substantiam gerunt, accipite etiam de cœlo fidelem astipulatorem: solem uobis ipsum horum produco testem: qui cū hæc fieri per impios uideret in terris, lumen suum meridie abscōdit in cœlo. Requirite in Annalibus uestris, inuenietis temporibus Pilati, Christo patiente, fugato sole, interruptum tenebris diem. Quod si terræ, si cœlo, si sanguini eorum à quibus ueritatem per tormenta perquiritis, fidem non accommodatis, quomodo uerbis meis credetis? Hactenus ille, qui mox post testimonium Christo redditum in carcere propter Christum necatus est.

Acta in loco Caluariæ.

Tenebræ super totam terram.

†*Aliâs patiti.*

Et uelum templi scissum est in duas partes à summo usque ad imum. Cum uidisset autem Centurio qui astabat ex aduerso illi, eum sic emisso clamore expirasse, dixit, Vere homo hic filius erat dei. Erant autē & mulieres è longinquo spectantes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi parui, & Iose mater, & Salome: quæ etiam, cum esset in Galilæa, sequutæ fuerant illum, & ministrauerant ei; aliæcp complures, quę simul ascenderant cum illo Hierosolyma.

Cõsequuta mortem domini.

Commemorat iam quædam mortẽ domini conſequuta, quæ & mortis precium commendant morientis q̃ maieſtatem. Mox à morte domini, ait Marcus, uelum templi, quod ea quę Iudæi (uerbis utor Paraph.) habebant ſacratiſſima à cõſpectu multitudinis ſeparabat, ſciſſum eſt à ſummo uſq̃ ad imum. Ceſſant umbræ, ſimul atq̃ prodit ueritas. Nec erat neceſſe futurũ, ut ullus ſacerdos introiret in ſancta, ſemel immolata uictima, quæ ſola ſufficeret pro expiandis totius mũdi peccatis. Ponitur & illud inter miracula, quod magna uoce expirat. Solẽt enim morientes paulatim deficere, ita ut morti uicini ęgre trahant anhelitum, tantum abeſt ut uocem ullam emittant. Sed & Pilatus miratur, paulò poſt referente Marco, ſi iam mortuus eſſet. Tametſi ergo ſit homo uerus qui uere mortuus eſt, declarat tamen in ultimo uitæ articulo ſe amplius quiddam eſſe quàm hominẽ, deum ſcilicet uerum, uitæ & mortis dominum, qui cum libet animam ſuam ponat, quam & cum uult reſumat. Sed uide quæ annotauerimus in Matth.

Et cum iam adueſperauiſſet quoniam erat paraſceue, quæ eſt pridie ſabbati, uenit Ioſeph, ortus ex (ciuitate) Arimathæa, honeſtus ſenator, qui & ipſe expectabat regnum dei, & cum audacia ingreſſus eſt ad Pilatum, & petiit ab eo corpus Ieſu. Pilatus autem admiratus eſt, ſi iam mortuus eſſet: & accerſito ad ſe Centurione, interrogauit illum, an iam dudum mortuus eſſet. Et re cognita ex Centurione, donauit corpus Ioſepho: qui mercatus ſindonem, depoſitum eum, inuoluit ſindoni, depoſuitq̃ eum in monumento, quod erat exciſum in petra. Et aduoluit lapidem ad oſtium monumenti. At Maria Magdalene, & Maria Ioſe ſpectabant ubi poneretur.

Sepultura domini.

Hæc omnia fuſe tractauimus apud Matth. & Ioan. ut non uideatur operæpretium ea non ſine nauſea lectorum repetere. Quod in fine commemorat Marias diligenter contemplaſſe ubi reponeretur corpus Ieſu mortuum, uiam præſtruit ad ſequentẽ hiſtoriam reſurrectionis. Mox enim ueniũt inſtructæ unguentis, uncturæ corpus domini, quod tamen reſurrexerat, ut ſequitur.

CAP. XVI. Et cum præteriſſet ſabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata, ut uenirent & ungerent eum. Et ualde mane primo ſabbatorum ueniunt ad monumentũ exorto ſole, dicebantq̃ inter ſeſe, Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumẽti? Et cum reſpexiſſent, uident lapidem eſſe reuolutum. Nam erat ualde magnus.

Reſurrectio domini uera ex mortuis.

Sequenti capite deſcribit ueram ex mortuis ueri corporis reſurrectionem domini noſtri Ieſu Chriſti: quodq̃ alij fecerũt fuſiſſime Marcus abſoluit breuiſſimis, quod hæc paucula pro multis uiderentur ſatisfacere. Pię mulierculæ ueniunt uncturæ corpus domini, ut fragrans maneat & ne quid fœtidum oriatur ex putredine: ergo unguenta adhibent, quæ uim habent ſiccandi & humores corporis conſumunt, quo uidelicet illud ſeruent incorruptum. Hoc quia non inueniunt, perſpicuum eſt illud reſurrexiſſe corpus quod computreſcere potuerat. Notatur & tempus quando ierint ad ſepulchrum, ut ex eodem & tempus reſurrectionis æſtimaremus. Prima ſabbatorum, prima dies eſt in hebdomada, proxime ſequens ſabbatum, nimirum illa, quam nos ob reſurrectionis memoriam appellamus Dominicam. Sed & aliâs monuimus ſabbata appellari totam hebdomadam quæ duobus clauditur ſabbatis. Paulò antequam ueniſſent ad ſepulchrum, deſcenderat angelus

gelus de cœlo, reuoluerat lapidem ab ostio monumẽti, ac resurrexerat dominus. Hinc est quod mulieres iam inueniunt reuolutum. Certum est & illud, abijsse milites deseruisseq; sepulchri custodiam. Nam his etiamnum præsentibus non tam libere accessissent mulierculæ.

Et ingressæ in monumentum uiderunt adolescentẽ sedentem à dextera, amictum stola candida, & expauerũt. At ille dicit eis, Ne expauescatis, Iesum quæritis Nazarenum, qui fuit crucifixus. Surrexit, non est hic. Ecce locus ubi posuerant illum. Sed abite, & dicite discipulis eius, & Petro, præcedit uos in Galilæam: illic eum uidebitis, sicut dixit uobis.

Angelus testificatur de resurrectione domini.

Edocentur nunc angelico testimonio uerum domini corpus uere ex mortuis resurrexisse. Cæterum mulierculæ ingressæ sepulchrum nescierũt surrexisse corpus. Apparet autem ipsum monumentum, id est capsam, quæ corpus reciperet conderetq;, uestibulum ac antrum quoddam habuisse, quod sepulchrum inspicere uolentibus in intima antri parte constituto positoq;, penetrare oportuit. Proinde uestibulum ingressę, quod lapis ille ingens obstruxerat, uident pone sepulchrũ aut corporis reconditorium, in intima antri parte angelum. Amictus hic erat ueste candida: qui color congruit triumphantibus iam nunc reuersis à uictoria. Ac mulieres pro imbecillitate sua expauescunt, re inexpectata perculsæ. Neq; rarum est homines ad angelorum conspectum subtrepidauisse. Angelus uero cum felicissimi nuncij adesset præco & testis, benignis uerbis attonitas alloquens consolatur, sicut olim quoq; fecerat cũ pastoribus natiuitatem saluatoris eiusdem annunciaret, ac dicit, Ne expauescatis. Omnia enim hic felicia sunt & fausta: nihil est quod terrorem incutiat aut metum. Mox exponit prior animi ipsorum cõsilium, quod reuelatione dei didicerat, cur scilicet aduenissent, ut Iesum crucifixum ungerent. Verum surrexit, inquit, non est hic &c. Animaduertendum autem diligenter angelorum dei sanctissimorum testimonio atq; nuncio potissima redemptionis nostræ capita hominibus esse reuelata atq; annunciata. Incarnatio enim domini annunciatur uirgini per Gabrielem archangelum. Nunc uerò resurrectionis ex mortuis testes sunt angeli ministri ueritatis, ut & mortẽ & resurrectionem domini unà testificentur. Angeli ascendente domino in monte oliuarum apparent ac testificantur dominum Iesum ita & ad eum modum rediturum in iudicium, in quem modum modo discipuli uiderant ascendentem in cœlum. Quod si non grauatim credimus iuratis testibus, quanto magis credi oportet angelis dei & ueritatis ministris? Porrò studiose expressis circumstantijs docet angelus corpus domini uerum & illud ipsum quod in cruce pependerat, non aliud pro ipso, resurrexisse ex mortuis. Id quod operæpretium fuerit paucis annotando colligendoq; obseruare. Principio Iesum, inquit, quæritis Nazarenum, illum nimirum cuius summo stipiti crucis affixum fuerat, Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Nam mox sequitur, Qui fuit crucifixus. De corpore ergo uero fit mentio: cum uerum & humanum corpus affixum fuerit cruci. Deinde quod in hac re primum & potissimum est subiungit, Surrexit. Quis obsecro? Iesus Nazarenus surrexit, eo ipso corpore quo fuit crucifixus. Adiungitur & aliud, Non est hic. Cui mox adijcitur & alia probatio, siue demonstratio ocularis, Ecce locus ubi posuerant illum. Est autem uera ueri corporis humani proprietas esse in loco uno certo. Et quia domini corpus quod ex mortuis resurrexerat, nõ erat amplius hic, ubi fuerat prius, consequens est, uerũ corpus resurrexisse, ac illud ipsum quod positum fuerat in sepulchro: denicq; cõsequens est illud ipsum resurgendo non amisisse corporis hu

Candida uestis.

Angeli euangelistæ.

Corpus domini uerum resurrexit ex mortuis.

manì proprietatem &, ut ſic dicam, localitatem. Alioqui enim angelus non dixiſſet uere, Non eſt hic. Verum de his plura diſputaui apud Matth. Comment. lib. 12. Pertinet & illud ad ueritatem corporis Chriſti confirmandam quod ſequitur mox, Præcedit uos in Galilæam. Motus enim ille localis ueritatem corporis oſtendit. Illic eum, inquit, uidebitis, ſicut dixit uobis. Illic inquam, in loco utiq; certo, uidebitis eum, non ut ſpectrum, ſed ut uerum hominem. Hoc ipſum prædixit uobis. Nequit autem is qui ueritas eſt mentiri. Vere ergo reſurrexit. Vbi autem prædixit ſe reſurrecturum præceſſurumq; diſcipulos in Galilæam? Dum Matthæo & Marco teſtibus ſubiens oliuarum montem diceret, Omnes offendemini in me in hac nocte: quia ſcriptum eſt, Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues. Sed poſtquam reſurrexero præcedam uos in Galilæam. Matth. 26. Marci 14. Cur uero tam ſignificanter & expreſſe docuerint apoſtoli reſurrexiſſe uerum domini corpus, & quis inde ad nos fructus redeat, expoſui in 12. Comment. ad Matth. libro. Illud rurſus non uidetur negligendum, quod angelus tanta mandat diligentia ut mulieres diſcipulis annuncient reſurrexiſſe dominum. Merebantur enim primæ reſurrectionis uitæq; nunciæ eſſe, quæ moriente domino conſtanter adfuerant, delatumq; domini corpus in ſepulchrũ comitatæ fuerant. Præſertim uero iubentur annunciare Petro: id quod ineffabilem dei miſericordiam & effectum pœnitentiæ inſignem commendat. Negarat Petrus dominum, grauiter deliquerat in dominum: ſed nihilominus per immenſam dei miſericordiam recipitur in numerum filiorum dei. Non enim ſine pœnitentia hæſerat in commiſſo facinore, ſed amarè fleuerat, deſeruerat q; flagitioſum conſortium, per quod illectus & abreptus fuerat in peccatum. Audimus autem nunc huic præ cæteris annunciandam eſſe reſurrectionem uiuificam. Colligimus hinc contra Nouatianos ueteres & nouos ualere apud dominum ueram pœnitentiam. Colligimus reſurrectionis Chriſti participes eſſe omnes peccatores, qui non impœnitentes hærent in ſceleribus.

Veritas corporis Chri

Matth. 26 Marc. 14.

Mulieres reſurrectionis teſtes

Nunciatur Petro reſurrectio

Petrus ſed non ſolus caſtigatur

Et egreſſæ cito, fugerunt à monumento. Tenebat autem illas tremor & æupor, neq; quicquam dicebant. Timebant enim.

Humana imbecillitas.

Inſigne exemplum exhibetur nobis humanæ imbecillitatis. Gaudium enim inſolitum & nouum ſpectaculum attonitas reddebat. Non expectauerant quod eueniebat. Putarant enim ſe reperturas corpus domini ſaucium. Sed & obſtupeſcebant ad angeli conſpectum. Terror ingens obſtabat quo minus quicquam amplius rogarent ab angelo, nec ullas ederent uoces, ſed fuga ſibi conſulendum putarent. Vbi uero peruentum eſſet ad diſcipulos, ibi tandem quæ uiderant & audierant depromunt: ſicuti clare indicatur apud Lucam in cap. 24. In uiſione angelica duntaxat obmutuerunt, non in uniuerſum & apud omnes. Acceperant enim præceptum ab angelo annunciandi diſcipulis & Petro quod reſurrexerit ex mortuis dominus. Infirmitas illa fidelium conſolatur nos egregie. Diſcimus enim optimos quoſq; fluctuare nonnihil, fidemq; ſua habere augmenta. Nemo ergo deſperet ob imbecillitatem ſuam. Ac poſſet quidẽ dominus uno momento fidei plenitudinem conferre: uerum ſinit nos fluctuare, quo inardeſcamus magis & precibus inſtemus feruentioribus.

Cum ſurrexiſſet autem mane, primo ſabbati, apparuit primum Mariæ Magdalene, de qua eiecerat ſeptem dæmonia. Illa profecta renunciauit his, qui cum illo fuerãt, lugentibus ac flentibus. At illi cum audiſſent eum uiuere, ac uiſum eſſe ab illa, non crediderunt.

Abru-

Abrupturus hiſtoriam euangelicam, colligit aliquot argumenta euidentia, quibus probet Ieſum Chriſtum uero corpore uere à mortuis reſurrexiſſe. Hęc uero, licet paucula, putauit pio Lectori, nihil aliud quàm ueritatem quærenti, ſufficere abunde ſatis: ut reuera ſufficiunt. Primum omnium, inquit, rediuiuum ſeſe exhibuit Mariæ Magdalenæ. Hiſtoriam ipſam plenius deſcribit Ioannes apoſtolus cap. 20. Ait autem Marcus dominum Mane ſurrexiſſe, nimirum illuceſcente iam die tertia. Theophylactus refert ad ſequentia, ideo ſic diſtinguit, Cum ſurrexiſſet. Hoc loco punctum ponit, deinde ſubiungit, mane prima ſabbati. Huius generis aliquid legas & apud Hieronymum quæſtione ad Hedibiam 3. Cæterum prior lectio magis mihi adlubeſcit. Tu delige quæ uidetur appoſitiſſima. Certe nulla eſt diſcrepantia in conſignatione temporis inter Mar. & Matth. Ad deſcriptionem perſonæ & beneficij commendationem illud pertinet quod legitur dominus à Maria eieciſſe ſeptem dæmonia. At ſeptenarius numerus uim ſignificat & multitudinem. Dæmon autem author eſt ſcelerum & calamitatum. Eiecit ergo ex Maria ſeptem dæmonia dominus, id eſt, liberauit illam à maximis flagitijs & morbis grauiſſimis. Statuitur ergo hæc nobis exemplum gratiæ diuinæ atq; potentiæ, pœnitentiæ denicq;. Nemo deſperet in peccatis aut uitijs animi corporisq;. Potentior eſt uirtus Chriſti quàm ulla uis aduerſaria. Licet ergo bene ſperare de illius gratia. Obedientiæ porrò fideiq; eſt quod renunciat diſcipulis reſurrexiſſe dominum. Quod illi lugent, nec credunt uera teſtificanti, infirmitatis & miſeriæ noſtræ exemplum eſt. De qua modo diximus.

Demonſtrationes ueræ reſurrectionis.

Poſt hæc autem duobus ex ipſis ambulantibus apparuit, alia forma, euntibus rus. Et illi abierũt ac renunciauerũt reliquis, nec his crediderũt.

Secundum ponit argumentum & ipſum euidens. Hiſtoria fuſe exponitur â beato Luca cap. 24. Dum duo iſti in itinere eſſent ac Emaum proficiſcerentur, cõiunxit ſe ipſis dominus, non iam uſitata ſpecie, ſed alia forma utens. Non quod corporis ſubſtantiam mutaret, & proprietates corporis annihilaret, ſed oculi diſcipulorum tenebantur ut ipſum non agnoſcerent. Arbitrabantur enim ipſum eſſe uiatorem & peregrinum. Vbi uero agnouiſſent ipſum ex fractione panis, redierũt Hieroſolyam, ac diſcipulis quid uidiſſent, & certò eſſent experti, expoſuerunt. Sed ne ſic quidem inuenerunt fidem apud ipſos ullam. Videbantur ipſis narrare fabulam de ſpectro aliquo. Nam difficilis creditu eſt uera corporũ reſurrectio, quam & Athenieñ. homines alioqui ſapientes, deridebant, Acto. 17.

Poſtea diſcumbentibus illis undecim apparuit, & exprobrauit ipſis incredulitatem eorum & cordis duriciam, quod his qui ipſum uidiſſent reſuſcitatum, non credidiſſent.

Tertia hæc eſt probatio reſurrectionis dominicæ. Dubium uero eſt an hæc ſit peculiaris apparitio, an illa ipſa quæ eadem reſurrectionis die ſub ueſperam eſt exhibita, cuius meminere Lucas in 24. & Ioan. in cap. 20. Ac uidetur quidem non eſſe peculiaris aut diuerſa ab hac, præſertim cum res tam probe ſibi congruant omnes. Lucas enim, Et ecce, inquit, duo ex illis ibant eodem die in caſtellum. Eodem inquam die quo reſurrexerat, prima ſcilicet ſabbati. Et mox, Et ſurgẽtes eadem hora regreſſi ſunt Hieroſolymam, & inuenerunt congregatos undecim & eos qui cum illis erant, &c. Item, Dum hæc loquuntur ſtetit Ieſus in medio illorum, & dicit eis, Pax uobis, &c. Ioannes uero, Cum, ait, ueſpera eſſet, die illo qui erat unus ſabbatorũ, & fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcipuli congregati, propter metum Iudæorum, uenit Ieſus, ſtetitq; in medio, & dicit eis, Pax uobis. Hactenus ergo pulchre omnia congruunt. Conueniunt & ſequentia egregie. Lucas enim dicit, Expauefacti uero & territi, exiſtima-

Collatio hiſtoriæ Mar. 16. Luc. 24. Ioan. 20.

bant se spiritum uidere. Et dixit eis, Quid turbati estis, &c. Et mox, Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Eadem legas apud Ioannem, sed breuius consignata. Rursus Lucas ait dominum discipulis aperuisse mentem ut intelligerent scripturas. Ioannes ait dixisse dominum, Accipite spiritum sanctum. Lucas iterum, Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum. Ioannes uero, Quorumcunq; remiseritis (inquit) peccata, remittuntur. Quibus nunc quoq; accinit Marcus, Et dicebat eis, Ite in mundum uniuersum, &c. Proinde uidetur eadem à tribus exponi historia, licet alius alio copiosius aut breuius rem gestam narret. Restat autem hic scrupulus aliquis. Nam Marcus & Lucas manifeste numerant undecim: at Ioannes postea commemorat Thomam tunc cum illa fierent, de quibus diximus, non adfuisse: cum autem constet Iudam perijsse, quomodo numerantur undecim absente Thoma? Scripserunt euangelistæ multos à resurrectione domini annos historiam rerum Christi, tum uero ab omnibus pro apostolo habebatur, uti reuera erat, Matthias. Hunc uero tum adfuisse uel ex illo claret, quod Lucas nō tantum apostolos numerat, sed insuper addit, Et eos qui cum illis erant. Nominatur à Matthæo Iudas proditor in historiæ contextu, priusquam prodidisset dominum. Quid ergo mirum si ipsis decem, undecimus apostolus annumeratur Matthias? qui ab ascensione demum domini allectus est in consortium duodecim, ut habetur Acto. cap. 1. Quid quod tunc habebatur pro apostolo, & erat apostolus è numero duodecim, cum historia hæc scribebatur? Sed hæc iudicio pij lectoris expendenda relinquo. Priusquam uero incredulitatem discipulorum accusaret ad uesperam, ea die rediuiuum sese exhibuerat, primum quidem Mariæ Magdalenæ, deinde alijs quibusdam mulieribus, hinc Simoni Petro, mox & duobus Emaum proficiscentibus. Atq; hi omnes bona fide cœtui discipulorum exposuerant, quæ uiderant: cæterum dubitabant hi nihilominus de ueritate resurrectionis. Ad uesperam ergo eius diei adest iam dominus & increpat incredulitatem, imò duriciam cordis ipsorum, quod adhuc diffiderent tam apertis demonstrationibus. Quibus autem uerbis exprobrarit illis incredulitatem, non exprimitur. Leguntur quidem quædam huius generis apud Lucam in 24. cap. unde reliqua quæ non exprimuntur æstimare licet. Discamus dominū ualde irasci succensereue nostræ incredulitati, qui tam euidētia habemus testimonia resurrectionis carnis nostræ, & tamē adhuc hæsitamus. Firmiter omnino credendū est q; tam certis firmisq; confirmatū est testimonijs.

Et dicebat eis, Ite in mundum uniuersum, & prædicate euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui uero non crediderit, condemnabitur.

Summa historiæ euangelicæ.

Hucusq; bona fide & mira breuitate exposuit S. Marcus, quæ dominus dixit & fecit ad eum usq; diem quo excitatus ex mortuis, mox assumendus erat in cœlum, id est qua fide & diligentia docuit mundum doctrinam uiamq; ueritatis & salutis, quæ contulerit miseris & indigis beneficia: quid item & quanta tormenta passus sit ut nos à morte & gehennæ tormentis eriperet: quomodo deniq; resurrexerit ex mortuis ut nobis plene uitam restitueret, iam uero ut salutem illam & omnia beneficia sua, non ad paucos, uel ad Iudæos duntaxat, sed ad ecclesiam, id est ad omnes & singulos fideles pertinere doceret, ultimo ultimum domini mandatum, apostolis datum commemorat, institutionem uidelicet siue ordinationem œconomiæ ecclesiasticæ. Præscribit enim modum per quem salus parta & oblata per Christum, omnibus innotescat hominibus, ac quo modo salutis in Christo participes fiant, qui salui esse cupiunt. Frustra enim audiuntur omnia illa quæ de Christi dictis & factis recitata

leguntur,

leguntur, nisi intelligamus illa ad nos pertinere, nobis inquã peccata esse remissa per Christum, nos hæredes regni dei effectos esse per fidem in Christum. Dicit itaq; dominus, Ite in mundum uniuersum, quibus terminos regni sui delineat, nullam gentem excludens. Neq; enim satis illi uidebatur dixisse, Ite in mundum, nisi addidisset, uniuersum: sed & uox Mundus suam habet emphasim, quæ nobis misericordiam dei immensam commendat, quippe quæ mundum totum in malo positum ex tenebris ad lucem uocare dignatur. Prædixerũt autem prophetæ etiam Christum per totum terræ orbem regnaturum. Dauid enim inducens patrem loquentem ad filium, ac dicentem, Postula à me, & dabo gentes ut sint hæreditas tua, & terminos terræ ut sint possessio tua. Idem pater apud Isaiam, Dedi te, inquit, in lucem gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ. Ideoq; dominus ascensurus in cœlũ ad apostolos dicit, Ac eritis mihi testes non solum Hierosolymis, uerũetiam in uniuersa Iudæa Samariaq;, denicq; usq; ad extrema terræ. Testificantur hæc omnia satis clare regnum dei non ad paucos, sed ad omnes homines pertinere. Hæc de terminis regni Christi.

Termini regni Christi.

Esa. 49. Actorũ cap. 2.

Deinde quid euntes faciant exprimit, finem uticq; missionis indicans modumq; exponens, per quem omnibus uult innotescere hominibus, ac per quem fiant participes salutis. Profecti, inquit, in mundum uniuersum, prædicate κηρύξατε. Est autem κηρύσσω proclamo aut pronuncio, ac est præconum proprie, qui publicitus apud populum uiua uoce aliquid promulgant. Ac Paulus 2. Timoth. 1. appellat se præconem euangelij. Euangelij, ait, positus sum ego κῆρυξ, præco inquam & apostolus, ac doctor gentium. Dicuntur autẽ præcones à præcinendo, eò quod uoce uiua uel tuba principis uoluntatem annuncient, & quid faciendum sit populo significent. Proinde intelligimus ex hac uoce potestate & maiestatem gloriamq; omnem uitæ & salutis esse dei solius regis regum, doctorum autem siue præconum ministerium duntaxat. Intelligimus denique in annunciatione uerbi non respiciendum ad præconem, sed ad illum potius cuius præco est, ad ipsum uidelicet deum qui præconem misit prædicatum. Ita enim uidemus præcones principum reuerenter excipi à populo, propter principes & quia creduntur afferre principum placita.

Finis apostolicæ legationis docere.

2 Timoth. 1.

Quid uero prædicare aut annunciare iussit hic princeps summus & rex regum terræ? Euangelium. Sed quibus hoc annũciari uoluit? Omni creaturæ. Quæ quidem loquutio excellentiam quandam habet: quasi dicat dominus, Prædicabitis præstantissimum hoc à rege regum nuncium, omnium creaturarum principi, homini, neq; quenquam putabitis indignum hoc præconio, ergo omni, inquit, creaturæ prædicabitis. Nam neminem excludit deus, nullam ætatem, nullum sexum, conditionem nullam: iubet omnibus omnis generis & status hominibus salutiferũ proclamare euangeliũ. Habes iam modũ per quem uult dominus salutẽ suam mundo innotescere, per prædicationem uidelicet euangelij. De qua re pluribus agit Paulus Rom. 10. Cæterum dicat iam aliquis, Quid est euangelium? Sequitur in uerbis domini, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui non crediderit, cõdemnabitur. Proinde euangelium est sermo siue prædicatio de Christo, nimirum quod credentes in Christũ saluantur, id est à peccatis absoluti, & à diabolo morteq; æterna liberati, hæreditatẽ consequuntur uitæ æternæ: rursus qui non credunt in filium dei, cõdemnantur. De hac re plura legis apud Marcum in cap. 1. apud Lucam item in cap. 24. denicq; Ioan. 3. & Roman. primo capite. Docemur his quoq; fidem esse per quam efficiamur hæredes uitæ æternæ. Ea fides est merum dei donum, quam apostoli non dant, docent autem atq; excitant idq; suo modo. Tractatur id copiosissime in doctrina siue scriptis apostolorum. Summa uero omnium quæ diximus hæc est, Dominum uelle toti mundo partam per Christum salutem innotescere per prædicationem euangelij, participari autem per fi-

Quid doceant apostoli.

Quid euangelium?

Rom. 10.

Fides.

Marc. 1. Luc. 24. Johan. 3. Rom. 1.

Bona opera.

dem in Christum. Proinde iustificamur nos per Christum in fide. Iustificati autem faciunt opera iustitiæ. Ita cõserta sunt inter sese prædicatio euangelij, Christi redemptio, fides, & studium iustitiæ siue bonorum operum.

Sacramentorũ celebritas.

Coniungitur his adhuc aliud in uerbis domini, Et baptizatus fuerit. Quibus licet paucis uerbis ordinatur in ecclesia sacramentorum celebritas, quæ fide præsente admodum utilis est. Ideo enim præmittitur, Qui crediderit, deinde subiungitur, Et baptizatus fuerit. Alioqui nõ prosunt sacramenta sine fide. Infantes quidem baptizantur in fide ecclesiæ, quia sunt in fœdere & gratia dei per Christum, quia etiam infantium Christus est, adulti uero baptizantur in fide quam profitentur. Ac reuera qui intelligunt se iustificari sola dei gratia per Christum in fide, baptismum non spernunt tanq̃ inutilem, quia certò norunt dominum non inutiliter dixisse, Qui crediderit & baptizatus fuerit. Crediderunt deo Eunuchus & Cornelius centurio ante baptismum acceptum, ac iustificati per gratiam dei in Christo & fide donũ acceperant spiritus sancti, adeoq̃ sic erant sanctificati & adaptati ad regnũ dei, ut si tunc excessissent ex hac uita, citra baptismum, hæredes fuissent uitæ æternæ, nihilominus dicebat Eunuchus ad Philippum, Ecce aqua, quid uetat, quo minus baptizer? Et Petrus cum effusum esset dei donum in Cornelium & familiam eius, dicit, Num quis prohibere potest, quo minus aqua baptizentur hi, qui spiritum sanctum acceperunt sicut nos? Acto 8. & 10. cap. Idem uidere licet & in exemplo Christi, properantis ad baptismum Ioannis, qui cum dixisset, Mihi opus est ut abs te baptizer, et tu uenis ad me? Audit, Omitte nunc, sic enim decet nos complere omnem iustitiã. Proinde licet iustificetur sanctificeturq̃ homo sola gratia dei per fidem, nõ tamen iccirco inutiliter petuntur & conferuntur sacramenta sanctis.

Sacramenta non inutilia fidelibus.

Quorsum instituta sacramenta cum gratiam non conferant.

At dicat aliquis, Cum constet fideles gratia dei per Christum in fide sanctificari uel iustificari, & iustificationem uel sanctificationem non conferri demum exhiberiue per sacramenta, quorsum ergo instituta sunt sacramẽta? Huic respondet apostolus Paulus in epistola ad Rom. cap. 4. ubi docet Abrahamũ non iustificatũ aut sanctificatum esse per circũcisionem, sed iustificatum fuisse fidei beneficio antequam fuisset circũcisus. Cæterum cum hac ratione uideri potuerant sacramenta dei euacuata, per occupationem subiungit mox, Et signum accepit circũcisionis, signaculum iustitiæ fidei quæ fuerat in præputio. Sunt itaq̃ sacramenta sigilla & obsignationes, quod deus inuisibili gratia nos sanctificat si credamus. Nam per fidem efficimur cõsortes iustitiæ atq̃ donorum dei, ideo significanter dixit apostolus, Signaculum iustitiæ fidei, & nõ tantum signaculum fidei, sed iustitiæ fidei, fidei inquam iustificantis, uel quod fides sit iustitia. Ergo iustificationem tribuere sacramentis, est contra finem & iustam sacramentorum institutionem pro ueritate mendacium asserere. Commendatur autem hic nobis religiosus sacramentorum usus in ecclesia Christi. Vt enim uerbo & uiua prædicatione dominus per ministros dona & beneficia sua ecclesiæ exponit, ita per sacramenta ceu uerba uisibilia eadem oculis nostris subijcit, atq̃ quodammodo testificans, obsignat.

Rom 4.

Baptismus.

Cæterum Baptismus nõ hic primum institutus est, sicut quidam Anabaptistæ falsò docent, à Ioanne enim Baptista primũ diuinitus est inuentus, nec alio baptismo quàm Ioannis, qui item dei ac Christi erat, ipse dominus Iesus est baptizatus: proinde repetitur hic baptismi institutum, iubeturq̃ dari omnibus in mundo creaturis, haud dubie infantibus atq̃ adultis. De Baptismo disputaui apud Matth. in cap. 3. De erroribus Anabaptistarum dictum est aliâs.

Matth. 3.

Gratia non alligata est sacramentis.

Obseruandum est & illud, dici quidem à domino uerbis disertis, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: at non repeti in opposito membro, Qui non crediderit & non baptizatus fuerit, condemnabitur, sed duntaxat, Qui non crediderit (omisso baptismo)

baptiſmo)condemnabitur. In cauſſa illud eſt haud dubie quod ſalus & gratia dei ſacramentis non eſt alligata. Si enim obſtet neceſſitas quo minus ſacramentis participare liceat, contemptus interim ordinationis dei & neglectus ſacramentorũ temerarius non accedat, moriaturq; fidelis citra baptiſmum, credat autem uere in filium dei, nullum uidetur eſſe uitæ periculum. Rurſus autem non poterit inuiſibiliter ſanctificari (ſicut & Auguſtinus teſtatur)qui uiſibilia ſacramenta cõtemnit. In ſumma, ſicuti uerbo euangelij erudit electos dominus, ita miniſterio & uſu ſacramentorũ legitimo exercet electos, repræſentat atq; obſignat ſua dona & beneficia. Et hactenus de Oeconomia eccleſiaſtica.

Porrò ſigna eos qui crediderint, hæc ſubſequentur. Per nomẽ meum dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi quid letale biberint, neutiquã nocebit eis. Super ægrotos manus imponent, & bene habebunt.

Signa ſubſequentia credentes.

Hæc quidem pertinent ad doctrinam euangelicam commendandam, quæ elegan-ter enarrans Paraphraſtes, Ne uero ueſtra prædicatio, inquit, fide careat, addetur & miraculorum uis, ſi modo adſit euangelica fiducia, & res ipſa miraculum poſcat. Præcipua uis euangelicæ gratiæ in animis eſt, ſed tamen ob incredulos & infirmos, hæc quoq; præſto erunt, ubi profectus euangelij requiret miraculũ. Qui in me poſuerint fiduciam, eijcient dæmonia non in ſuo nomine, ſed in meo, linguis loquentur nouis, ſerpentes abigent, & ſi quid letale biberint non nocebit illis, ægrotis imponent manus, & bene habebunt. Hæc cum in animis fiunt maius præſtatur miraculũ, ſed occultũ, Auaritia, libido, ambitio, odium, ira, liuor, uenena morbiq; letales ſunt animo, hæc abigent in nomine meo, idq; facient perpetuò. Propter infirmos autem & ad credendum difficiles, nonnunquam fient & illa, ut homines craſſi uideant in illis eſſe ſpiritum, hut manis uiribus potentiorem. Hactenus ille. Proinde declarant nobis hæc domini uerba quis ſit effectus, quæ uis & maieſtas uerbi dei & fidei in Chriſtũ, Pellit diabolum, inſtruit & efficit linguas nouas, eripit ueneno ſuam uim, tollit omnis generis morbos. Ea ſi referamus, ſicuti licet, ad animos hominum, fiunt ſanè quotidie in animis omniũ fidelium. Fide enim per uirtutem Chriſti eijcitur diabolus & calcatur, qui hactenus infidelem pro ſua rexerat libidine, lingua quæ hucuſq; aſſueuerat mendacijs, blaſphemijs, obſcœnitatibus atq; obtrectationibus planè alia iam facta, loquitur ueritatem, benedicit deo, caſta eſt, neq; unquam laxatur niſi ad ædificationem proximi. Porrò ſi illa referamus ad corpus, fiunt ea per miraculum cum in doctoribus tum in ipſis diſcipulis. Fideles enim per uirtutem Chriſti, cui crediderũt, pepulerunt diabolum ac ſupplantarunt, linguis peregrinis loquebantur & diſcipuli domini, & diſcipulorum domini diſcipuli, Paulus excuſſit ex manibus ſuſpenſam uiperam in uicinum focum, nec nocuit ipſi uel tantillum letale uirus, ſed & uenenata pocula propinata, & cibus ueneno corruptus, & à fidelibus Chriſti hauſtus nihil nocuit. Deferebant Hieroſolymis ægrotos in plateas ut Petri umbra contingeret calamitoſos, & reſtituti ſunt. Acceperunt quidam S. Pauli ſudariola, impoſueruntq; ipſa ægrotis, & protinus ſenſerunt morbum eſſe depulſum. Teſtantur hoc Acta apoſtolorum, teſtatur idem hiſtoria eccleſiaſtica, teſtantur deniq; præſentia tempora, in quibus per fiduciam nominis Chriſti permulti admodum affecti & confracti morbis, denuo ſanitati iuſtæ reſtituuntur. Cæterum adhibentur diuinitus & fiunt ſigna per homines uirtute Chriſti, fidei parandæ gratia. Prædicant apoſtoli Chriſtum eſſe dominum cœli & terræ, cui ſubiecta ſint omnia, qui uenerit redempturus credentes, iam uero ut liquidò appareret omnibus auditoribus prædicationem hanc de Chriſto non eſſe uanam, eiecerunt prædica-

Paulina uipera

Petri fama

Pauli ſudariola

Signa fiunt fidei gratia.

tores per inuocationem nominis Christi, diabolos, omnis generis morbos curarunt, ut uel ex opere omnes intelligerent, ueram, certam & indubitatam esse euangelij prædicationem. Sunt itaq; signa hæc ueluti literæ quædam credentiales, ut uocant. Ideo mox sequitur, Confirmauit dominus sermonem prędicatum per signa subsequentia. Vbi tamen non dissimulandum est signa effectum suum habere apud tractabiles & non apud impios contemptores. Hi enim filio dei reclamentes dicebant, Per Beelzebub principem dæmoniorũ eijcit dæmonia. Nec semper fiunt signa, sed quoties deo uisum fuerit & necesse uidetur: unde signa facere nõ in arbitrio hominis, sed in dei uoluntate positũ esse constat. Neq; enim fiunt illa uirtute humana, sed per potentiã dei. Ideoq; diserte dixit dominus, Per nomen meum eijcient dæmonia. Verũ de his quoq; disputaui apud Matth. in cap. 10.

Itaq; dominus quidem postquam loquutus est eis, receptus est in cœlum, & consedit à dextera dei.

Ascendit in cœlum dominus.

Alterum caput religionis nostræ maximum exponit his Marcus, quò tandem absolutis rebus omnibus peruenerit dominus Iesus, Receptus est, inquit, in cœlum. Paucis uerbis exposuit scilicet quod Lucas multis enarrat euangelicæ historiæ cap. 24. & Acto. cap. 1. De ascensione domini ad cœlos dixi in 12. lib. Comment. in Matth. & primo in Acta apostolorum. Addit & aliud, Et consedit à dextera dei, id est regnum ingressus omnium quæ in cœlo ac in terra sunt potestatem accepit, ut iam cœlitus regnet in ecclesia sanctorum. Cæterũ de Dextera dei, de Sessione Christi filij dei ad dexteram patris, deniq; & de Regno Christi, dixi in 12. Comment. lib. ad Matth. & in Præfatione huius operis. Proinde pauculis his annotatis, ad illa remitto.

Illi uero egressi prædicauerunt ubiq; domino cooperante, & sermonem confirmante per signa subsequentia.

Apostolorum Christi fides sedula.

His commendatur nobis fides exactissima & diligentia indefessa apostolorum domini. Egressi sunt, ait Marcus, nimirum sicuti præceperat dominus, Ite in mundum. Et sicut ibidem mandarat, Prædicate euangelium omni creaturæ: ita in præsenti dicitur, Prædicauerunt ubiq;. Omnia itaq; ita fecerunt sicuti iniunxerat dominus, relinquentes nobis exemplum, ut & nos omnia nostra, non ad nostrum arbitrium, sed ad uoluntatem & præscriptum dei componamus. Sequitur autem fidelem operam, obedientiam & diligentiam, successus felicissimus. Prædicarunt enim ubiq;, inquit, domino cooperante, & sermonem confirmante per signa subsequentia. Primum ergo gratiam contulit insignem docentibus, deinde uero & auditores rapuit atq; transmutauit. Operatur sanè agricola in cultura agri fideliter, sed nihil est qui rigat aut qui plantat, nisi incrementum det deus adeoq; cooperetur. Ita frustra foris prædicat doctor euangelicus, nisi dominus intus corda rapiat transformetq; auditorum. Neq; ideo frustraneus est labor docentis foris uoce uiua. Nam Paulus, Fides, inquit, ex auditu est, auditus autem per uerbum dei: rursus non ideo alligata est uiua operatio dei uerbo, ut non possit deus quando, quomodo & quos uult, conuertere. Interim nostrum non est contempta ordinatione dei legitima, occultos dei modos cõuertendi expectare. Nam propheta clamat, Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra. Proinde foris sonante uerbo dei per prædicationem humanam, preces perpetuæ extollendæ ad dominum, ut is cooperetur in cordibus hisq; insculpat spiritus sui impressione, quod iam auribus suauiter intonat. Ideo uero & S. Paulus, Dei, inquit, sumus cooperarij, dei agricolatio, dei ædificatio estis, iuxta gratiam dei quæ data est mihi. 1. Cor. 3. Proinde si quis uellet externum uerbi ministerium & operam hominum aspernari, is nequaquã occultis spiritus sancti motibus rapietur. Nam dominus apud prophetã,

De interno & externo dei uerbo.

Ad

Ad hunc, inquit, respiciam qui est humili & fracto spiritu, & ad uerbum meum reuerentia quadam contremiscit. Est itaq; hæc ordinatio & œconomia in ecclesia dei per Christum instituta. Deliguntur nimirum ante omnia ministri & doctores, euangelici negotij periti. Deinde mittuntur tales ad homines, ut quæ didicerunt à Christo, alios doceant prædicatione euangelij. Hic ergo prædicatur à ministris euangelium. Sed interea cooperatur dominus & in ministris doctoribus, & in auditoribus. Illis enim confert dotes & facultates docendi, confirmat item sermonem prædicatum per signa subsequentia. De quibus dictum est. His uero eandem confert in animis gratiam, ut credant signis & recipiant doctrinam totamq; uitam suam ad ipsam componant. Hinc uero nascitur fidelis Christo regi & sacerdoti ecclesia, fidelis omnium credentium cœtus, per totum orbem dispersus quidem corpore, adunatus autem spiritu, illa ipsa est ecclesia, quæ capiti Christo adhæret fide, spe & charitate, laudatq; bonitatem eius, donec ad ipsum transferatur in sedes uere beatas. Ecclesiam hanc multo cum labore & mira cũ felicitate descripsit Lucas in Actis suis apostolicis, à quo pleniora petere licet.

HAEC autem tradidit hucusq; optimæ imò indubitatæ fidei testis diuus Marcus de domino nostro Iesu Christo uero deo & homine, unico rege, sacerdote, & seruatore nostro, quæ scilicet dixerit & fecerit dum dispensationis diuinæ negotium ab æterno decretum, absoluit. Nostrum fuerit, implorato dei auxilio, omnem spem nostram in illum figere, qui datus est nobis ad salutem, & qui annunciatur nobis ad lucem uitæ sanctæ & æternæ. Faxit hic rex & pontifex noster, ut in ipso uiuamus æternum. Ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-302076-p0109-1

180 181
(x 2210903)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-302076-p0111-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-302076-p0112-4

IN SACROSANCTVM Euangelium Domini nostri Iesu Christi secundum Marcũ, Commentariorum lib. VI. per Heinrychum Bullingerum.

ACCESSIT operi Præfatio De Iesu Christo pontifice maximo, & rege fidelium summo regnante in ecclesia sanctorum.

IESVS.

Hic est filius meus dilectus, in quo placata est anima mea. Ipsum audite. Matth. 17.

TIGVRI APVD FROSCH. AN. M. D. XLV.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-302076-p0113-9